QUATENUS IN FABULIS PLAUTINIS ET LOCI ET TEMPORIS UNITATIBUS SPECIES VERITATIS NEGLEGATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
UNIVERSITATIS FRIDERICAE GUILELMAE SILESIACAE
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

MAXIMILIANUS BRASSE
SUIDNICIENSIS

QUI
DIE XXV MENSIS JULII ANNI MCMXIV HORA XII
DICET
DE COMOEDIA A POETIS ROMANIS EXCULTA
QUO FACTO
PROMOTIO
HABEBITUR.

GRYPHIMONTII
TYPIS OFFICINAE „DER GREIF“
MCMXIV.

Die dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit

Guilelmus Kroll.

Examen rigorosum habitum est die VI mensis Maii anni MCMXIV.

MANIBUS

FRANCISCI SKUTSCH

SACRUM.

Praefatio.

Plautus ut ceteri antiquitatis poetae scaenici in fabulis scaenam mutare non potest. Omnes enim comoediae in platea aguntur ante aedes, quae primarum partium actorum sunt. Neque poeta, si vellet, scaenam mutare posset, cum spectatores per totam fabulam scaenam apertam conspiciant. Nam scaena eo tempore aulaeo carebat. Itaque fit, ut in fabulis Plautinis multis in rebus veritatis species neglegatur. Apparet enim multas actiones, quas poeta in plateam transferre cogitur, re vera aptius agi domi aut alio loco. Qua ex re discrepantiae scaenae et veritatis enascuntur. Neque solum loci, sed etiam temporis unitatem servat poeta. Omnes enim fabulae intra diei spatium aguntur. Id quoque inde efficitur, quod ea aetate aulaeum nondum inventum erat. Nam manifestum est poetas horum temporum alium actum alio tempore agi fingere non posse, nisi aulaeo utantur. At Plauto, ut temporis unitatem servet, saepe intervalla temporis neglegenda vel res, quas iam ante fabulae initium factas esse putaveris, in ipsa demum comoedia producendae sunt. Neque raro contaminatio fabularum in eas discrepantias et uno loco et uno tempore factas aliquid momenti habet.

Sed priusquam ad rem ipsam accedam, dicam qua ratione libri maxime adhibiti in hac commentatione significentur:

Polczyk = Aemil. Polczyk, de unitatibus et loci et temporis in nova comoedia observatis, diss. Vrat. 1909.
Leo = F. Leo, plautin. Forschg. Berol. 1912.
Langen = P. Langen, plautin. Stud. Berol. 1886.
Doerpf. - Reisch = Doerpfeld et Reisch, das griech. Theater, Athen. 1896.
Bethe = E. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum, Lips. 1896.

Pars I.

De specie veritatis ob loci unitatem neglecta.

Cap. I.

Persaepe fit, utpersonae causam non afferentes domo in plateam procedant.

In Amphitruone quidem v. 633 domo exit Alcumena et in platea queritur, quod vir victoria parta hac nocte demum ad se reversus iam ad navem redierit. Videmus igitur uxorem ne minimam quidem causam exeundi afferre [1]. Apparet autem eam exire, cum in scaena necessaria sit. At verisimile est in exemplo Graeco rem aliter se habuisse. Leo enim Amphitruonem a Plauto contaminatam esse ostendit [2]. Id hac quoque scaena demonstratur. Nam v. 629 Amphitruo servo, qui ei persuadere non potuit se ab altero Sosia impeditum esse ne ad Alcumenam se conferret, imperat haec:

„Sequere hac igitur me, nam mihi istuc primum exquisitost opus.
Utinam di faxint, infecta dicta re eveniant tua“ (632).

Putaveris igitur eos domum intraturos esse. Sed inter Alcumenae soliloquium in scaena remanent. Nam eo finito denuo colloquuntur. Mirum autem est, quod Alcumena exiens virum et servum domum intraturos non conspicit. Item Amphitruonem et servum Alcumenam neque videre neque audire miramur. Quod ex sermone eorum satis apparet. Alcumenae enim soliloquio finito hoc dicendi initium facit Amphitruo (vss. 654 sqq.):

„Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum
Quae me amat, quam contra amo: praesertim re gesta bene
Victis hostibus“ e. q. s.

Neque in scaena II, 2 mentio fit rerum mirificarum, de quibus erus et servus in scaena II, 1 collocuti sunt,

---

1) Polczyk, p. 48.

2) Nachr. d. Ges. d. Wiss., Gottingae 1911, p. 254 sqq.

nisi vss. 785, 828, 844—46, 855—57. Sed satis apparet eos vss. cum colloquio inter Alcumenam atque erum servumque artius non cohaerere [1]. Immo eos vss. non desideramus. Praeterea Amphitruo v. 654 loquitur, quasi nunc demum scaenam intret. Porro is, cum in scaena II, 1 servum, quod erum ludificet, increpet, in scaena II, 2 Sosia familiariter utitur, cf. vss. 664—75. Quae cum ita sint, scaena II, 2 cum scaena II, 1 non apte cohaeret. Immo optime congruit cum scaena I, 3, in qua Pseudo-Amphitruo post noctem longam Alcumenae valedicit. Sed scaena II, 1 cum fabulae initio cohaeret. Sosia enim, quem Mercurius domo prohibuerit, ad Amphitruonem revertitur atque scaena II, 1 ineunte erum ex portu in scaenam deducit, ut is re vera alterum Sosiam exstare sibi persuadeat. Leo putat Amphitruonem fabulam compositam esse ex duobus exemplis Graecis: in altero (A) Amphitruonem post Iovis discessum (I, 3) reversum (II, 2) uxorem adulterii insimulavisse (II, 2), Iovem autem rixam coniugum composuisse; in altero (B) Amphitruonem eodem die, quo Alcumena geminos pariat, redire. Qua in fabula per Iovem Mercuriumque turbas factas esse. Huic sententiae assentiri debemus. Nam facile cognosci potest, utrius exempli Graeci singulae scaenae sint. Hoc loco tantum dicam scaenas I, 3 et II, 2 fabulae A esse, quamquam in eis Alcumenam brevi tempore parituram esse commemoratur. Sed versus ad id spectantes a Plauto in comoedia contaminanda insertos esse apparet [2]. Neque enim nox longior, ad quam illae scaenae pertinent, cogitari posset, si Alcumena re vera iam decimum mensem gravida esset. Immo Plautus, cum in his scaenis graviditatis mentionem fieri fingat, id spectavit, ut fabulam A cum fabula B coniungeret. Sin res aliter se haberet, Alcumena ipsa sibi partum instare diceret. At de ea re ne unum quidem verbum facit. Neque est, cur non assentiamur Leoni rato [3] scaenam II, 2 olim secundum scaenam I, 3 fuisse: Alcumenam post Iovis discessum in scaena remansisse que-

[1] Accuratius eam rem disseruit Leo, l. c. p. 256.
[2] cf. Leo, l. c. p. 255 sq.
[3] l. c. p. 257.

rentem, quod maritus iam se reliquisset. Inter eius verba Amphitruonem cum Sosia scaenam ingressum esse. Quae res si ita est, nobis colligendum est aut Plautum ipsum vss. 546—550, quibus deus noctem dimittit, auctorem esse aut poetam Graecum uxorem haec Pseudo- Amphitruonis verba audientem non fecisse, cuius rei exempla cap. X. tractabimus. Iterum Alcumena v. 883 in plateam procedit: queritur, quod vir stupri se arguerit, atque dicit se iniuriam sibi allatam ulturam esse. Apparet igitur eam exeundi causam non afferre. Immo incredibile est matronam domo progredi, ut foris quod adulterii insimulata sit, queratur [1]). His quoque vss. Alcumena ne unum quidem verbum facit sibi partum instare. Sed verba eius ad scaenam II, 2, in qua maritus eam adulterii arguit, pertinent. At act. III—V exempli B fuisse apparet: Amphitruo enim a Iove deluditur, Alcumena autem filios geminos parit. Quae cum ita sint, credo Plautum Alcumenam ita loquentem fecisse, ut duas fabulas inter se coniungeret. Iuppiter, qui in scaena adest, verbis Alcumenae auditis haec dicit (vss. 891 sq.):

„Faciundumst mihi illud, fieri quod illaec postulat
Si me illam amantem ad sese studeam recipere“.

Sed omnino incredibile est in exemplo Graeco Pseudo-Amphitruonem paulo post longam noctem iterum ad Alcumenam venisse, ut cum ea voluptatem caperet. Immo credo in fabula B Pseudo - Amphitruonem hoc loco hostibus victis a portu domum reverti simulavisse. Quae sententia mihi demonstrari videtur his Iovis vss. (946 sqq.):

„Iube vero vasa pura adornari mihi
Ut quae apud legionem vota vovi, si domum
Redirem salvos, ea ego exsolvam omnia.“

Ea res si ita se habet, Plautus ipse Iovem iterum amantem ad Alcumenam se recipientem fecit, ne deus causa non allata in scaenam rediret. Plautus autem Pseudo - Amphitruonem cum uxore in gratiam redire fingit, ut actio sc. II, 2 quodammodo ad finem perducatur. Itaque censeo scaenam III, 2 olim in exemplo B fuisse, sed a Plauto in Amphitruone contaminanda immutatam esse. Deinde post v.

1) cf. Polczyk, p. 39.

1052 Bromia ancilla causam non afferens in plateam procedit, ut spectatoribus Alcumenam pueros geminos peperisse renuntiet. - In Asinaria v. 504 [1]) Cleaereta lena et Philaenium filia domo exeunt causa non allata. Sed facile intellegimus, cur poeta eas procedentes fecerit. Lena enim cum meretrice rixatur, quod, quamquam mater vetuit, Argyrippum amare non desinit. Plautus igitur, quod interior domus oculis subici non potest, illam altercationem in plateam transfert. Quo colloquio finito Plautus matrem et filiam in aedes redeuntes facit. At in exemplo Graeco lena postea aliquo se contulisse videtur. Alioqui fieri non potuit, ut Argyrippus cum amica post v. 590 domo lenae exiret. Certe enim lenam eum argento non dato intromisisse incredibile est. Immo Plautus in Asinaria contaminanda [2]) hanc discrepantiam admisisse videtur. — In Aulularia v. 120 Megadorus et Eunomia soror in plateam procedunt. Eunomia autem hanc exeundi causam affert (vss. 133 sq.):

„Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.“

Sed verisimilius est personas, quae secreto inter se colloqui volunt, domi manere. Quod colloquium a poeta in plateam transferri necesse erat, ut spectatores audirent. Deinde v. 363 Pythodicus servus contra speciem veritatis domo egreditur. Dicit enim in vs. 363:

„Ego intervisam, quid faciant coqui.“

Itaque rectius esse videtur eum domi manere. Postea initio sc. IV, 7 Lyconides cum Eunomia matre domo procedit. Colloquuntur autem de Euclionis filia. Neque poeta causam progrediendi affert. Certe quidem illas personas ea de causa exeuntes facit, ut spectatores colloquio interesse et illae Phaedram, quae parturiens clamat, audire possint. Item verisimile non est Strobilum, qui post v. 712 domum introiit, ut aulam Euclioni surreptam conderet, v. 808 rursum in plateam procedere. Immo vero ei ille locus, ubi ab Euclione perfacile conspici possit, fugiendus est. Sed poeta Strobilum produxit, quod in sequente scaena necessarius est. [3])

[1]) cf. Dziatzko, zur Aul. des Pl., rh. M. 37. 1882.
[2]) De ea re in cap. XIII huius partis disputabo.
[3]) Polczyk, p. 48 sq.

— Etiam in Bacchidibus saepius personae veritatis specie neglecta domo in plateam exeunt. Velut v. 178 Pistoclerus domo Bacchidum egreditur ne minimam quidem causam afferens. Quod eo magis miramur, cum post v. 169 cum Lydo praeceptore intus se contulerit. Estne credibile Lydum cum adulescentis flagitia indignetur, Pistoclero egresso solum intus manere? Sed apparet, cur Plautus adulescentem egredientem faciat. Adest enim in scaena Chrysalus servus, qui Pistoclerum convenire debet, *„quem ad epistulam*

Mnesilochus misit super amica Bacchide.“

Similiter v. 530 Mnesilochus causa non allata in plateam egreditur. Nam quamquam haec verba facit (vs. 530 sq.):

„nunc ego illam me velim

Convenire, postquam inanis sum, contemptricem meam,“

tamen haec serio non loquitur. Immo vero poeta eum procedentem facit, ut Pistoclerum conveniat. Nam nisi poeta rem ita instituisset, Pistoclerus domum Mnesilochi intravisset. Nam in vs. 529 dicit:

„ibo ut visam huc ad eum, si fortest domi.“

Idem Mnesilochus vs. 612 causam non afferens domo meretricum in plateam progreditur, ut coram spectatoribus cum Pistoclero et Chrysalo de fraude patri facienda colloquatur [1]. Atque Nicobulum poeta post v. 769 eo tantum domo procedentem facit, quod Chrysalus ante aedes est, ut seni filii epistulam tradat. Neque aliter idem v. 977 domo exit. Quod his Chrysali verbis demonstratur (vs. 977):

„Sed Priamum adstantem eccum ante portam video.

Adibo atque adloquar.“

— Sed in Captivis v. 516 Tyndarus Aristophonte conspecto domo foras se praecipitat timore perterritus. At verisimilius esse putaveris eum domi manere ibique se abdere. Sed poeta id spectavit, ut scaenae sequentes coram spectatoribus agerentur. — In Casina eadem de causa Olympio et Chalinus v. 89 domum relinquunt. Spectatores enim altercationi eorum interesse vult poeta. Deinde post v. 308 Olympio causa non allata domo in plateam procedit, [1] quod in scaena adesse debet, ut cum Chalino Casinam

[1] cf. Polczyk, p. 49.

coram spectatoribus sortiatur. Neque magis habent Lysidamus et Olympio, quod post v. 436 domo exeant. Nam in vs. 490 demum senex vilico dicit: *„Scin quid nunc facias?“* et in vs. 491: *„Abi atque obsona, propera.“* Quae verba causam exeundi non continent. Sed illos colloquium ante aedes habere necesse est, ut Chalinus sermonem eorum auscultare possit. Item Cleostrata v. 531 aedes relinquit [1] ut Alcesimum senem post v. 538 causa non allata domo sua egressum conveniat. Porro verisimile non est Pardaliscam v. 621 in scaenam procedere clamantem Casinam vesanam esse. Quae tota scaena in fabula peragenda nullius momenti est. Sed poeta specie veritatis neglecta ancillam prodeuntem facit, ut spectatores senis timore et angore delectentur. Eadem ancilla v. 759 in scaenam procedit causa non allata [1], cum poeta spectatores per eam de rebus domi actis certiores fieri velit. — In Cistellaria Alcesimarchus v. 640 gladium manu tenens in plateam se praecipitat, ut se interimat. Num est verisimile quemquam ob eam causam in publicum prodire? Neque Phanostrata habet, quod in v. 658 repente in scaena adsit. Etiam his locis poeta speciem veritatis neglegit, quod actionem intus transferre non potest. — Iam accedamus ad Curculionem fabulam. Palinurus enim in v. 274 iterum in scaena adest, postquam v. 258 domum intravit. Neque ei fuisse, quod egrederetur, puto. Sed poeta eum egredientem fecisse videtur, ut Curculionem parasitum accurrentem conspiceret. Quomodo res se habuerit, nescimus, cum ante vs. 274 lacuna sit. Cappadox quoque v. 455 causa non allata plateam ingreditur, cum Lyconem trapezitam et parasitum, qui in scaena adsunt, conveniat necesse sit. — In Epidico quidem poeta v. 320 [2] Stratippoclem et Chaeribulum inducit, quod in platea necessarii sunt. Nam paulo post Epidicus advenit. Similiter Periphanem v. 382 [1] tantum ideo domo procedere apparet, quod poeta eum Apoecidem coram spectatoribus convenire vult. Item Stratippocles non habet, quod post v. 606 domo procedat. Sed intellegitur eum cum Epidico adveniente

[1] cf. Polczyk, p. 49.
[2] cf. Polczyk, p. 40.

coram spectatoribus colloqui debere. Deinde senes, postquam Epidicum frusta quaesiverunt, ante aedes adveniunt (v. 666). Sed ut fabula ad finem perduci possit, eos Epidicum convenire opus est, qui paulo ante domum introiit. Sed poeta cum scaenam mutare non possit, impedire debet, ne senes domum intrent. Itaque v. 675 Epidicum foras progredientem facit, quamquam huius rei causam non habet. — In Menaechmis quidem post v. 703 uxor Menaechmi I domo procedit haec verba faciens:

„Provisam, quam mox vir meus redeat domum“.

Neque tamen credibile esse videtur uxorem egredi, ut virum circumspiciat, cum in sc. II, 2 eum foras excluserit. Sed poetae matrona producenda fuit, ut ante aedes Menaechmum II conspiceret et maritum putaret. — Eodem modo in Mercatore poeta personas causa non allata domo in plateam producit. Initio quidem fabulae Charinum domo exeuntem facit nihil aliud spectans, nisi ut adulescens prologum dicat Acanthionemque servum ante aedes conveniat. Deinde v. 475 Eutychus subito Charinum, qui in scaena est, alloquitur. Nam dum amicus cum patre colloquitur, domo processit (cf. vs. 476). At Plautus eum exire fingit nulla causa allata. Sed perspicuum est eum adulescentem domum relinquentem fecisse, quod eo ad fabulam peragendam utitur. Charinum autem poeta v. 588 nulla alia de causa domo exeuntem et amicum in platea exspectantem facit, nisi quod spectatores sermoni adulescentium adesse vult. Similiter Dorippa, Lysimachi uxor, non habet, cur post v. 699 domum relinquat. Sed satis apparet poetam eam domo exeuntem fecisse, ut cum coniuge coram spectatoribus rixaretur atque scaena coqui sequens in platea ageretur. — Etiam in Milite Glorioso exempla huius rei invenimus. Nam fabulae initio Pyrgopolinices et parasitus procedunt. Sed quamquam miles in v. 72 dicit, se ad forum iturum esse, tamen non est, cur poeta eos iam in v. 1 domo producat. Quod non nisi spectatorum causa fit, qui militis et parasiti colloquio de Pyrgopolinicis animo moribusque doceantur. Deinde omni veritatis specie neglecta Palaestrio servus ex aedibus in plateam se confert, ut fabulae argumentum narret.

Qua in re hoc quoque mirandum est, quod servus prologum locutus partes suas agit argumenti inscius [1]. Paulo post domo procedit Periplecomenus (vs. 156), iterum autem poeta causam non affert. Sed senex ideo in plateam procedit, quod cum Palaestrione colloquatur necesse est. Postea (v. 596) Palaestrio et senex et Pleusicles nulla alia de causa domum relinquunt, nisi ut res coram spectatoribus agatur. [2]) Quam rem eo magis miramur, quod senex post Sceledri fugam dixit haec (vss. 591 sqq.):

„Redeo in senatum rusum. Nam Palaestrio
Domi nunc apud mest, Sceledrus nunc autemst foris:
Frequens senatus poterit nunc haberier.
Ibo intro: ne, dum absum † multae sortitae fiat.“

Intus re vera consilium habitum est. Palaestrio enim (vss. 612 sq.) haec facit verba:

Sed volo scire: eodem consilio quod intus meditati sumus
Gerimus rem?

Ab iis verbis non abhorret, quod Pleusicles senem vss. 615 sqq. orat, ne aegre ferat, quod ad facinora puerilia adhibeatur. Et consilium re vera iam intus habitum esse inde quoque demonstratur, quod senex in vss. 738 et 749 ad forum abiturus est. Sed a vs. 765 Palaestrio subito novum consilium exponere incipit. Recte igitur iudicat Leo[3]) vss. 612 sqq. et vss. 596 sqq. et vss. 765 sqq. inter se repugnare. Illam discrepantiam ex contaminatione exortam esse mihi persuasi. Leo quidem post alios demonstravit[4]) hanc fabulam a Plauto conglutinatam esse ex duobus exemplis Graecis. Plautus enim Ἀλαζόνι fabulae alterius exemplaris Graeci partes inseruit, in quo militi pariete perfossa fraus facta est. Atqui consilium post v. 765 habitum actum IV et V praeparat, in quibus parietis perfossae nullus usus est. Inde apparet id consilium non ad act. II pertinere, qui sine illa pariete perfossa agi non possit. Porro manifestum est vss. 766 sqq. optime cohaerere cum vss. 596—611. Sed cum ille contextus intermittatur vss. 612 sqq., qui

---

[1]) cf. Polczyk p. 26. Trautwein, de prologorum Plautinorum indole atque natura, Berol. 1890, p. 47. [2]) cf. Polczyk, p. 42 sq. [3]) p. 180 sq. [4]) p. 178 sqq.

et vss. 596 sqq. et 766 sqq. repugnant, putaverim eos vss. ad act. II actionem pertinere. Existimo enim in altera quoque fabula Periplecomenum et Palaestrionem, quem in sc. II, 6 adfuisse infra demonstrabo, cum Pleusicle Sceledro remoto deliberavisse, quomodo Philocomasium quam celerrime abducerent. Ex eo consilio vss. 614—755 sumpti esse videntur. Post v. 755 nescio an senex re vera ad forum obsonatum abierit. Sed vss. 756—65 et vss. 712—13 a Plauto contaminationis causa compositi sunt. Neque in exemplo Graeco Palaestrio aliique causa non allata domo progressi esse mihi videntur. Immo puto v. 586 Pleusicle evocato consilii initium factum esse. Verisimile est militem paulo post a foro reversum pariete perfossa deceptum esse atque inscium ipsum in Philocomasio abducenda Palaestrionem et Pleusiclem adiuvisse [1]. — Sed v. 1137 [2] poeta domo producit Acroteleutium, Milphidippam, Pleusiclem, ut Palaestrionem conveniant et interrogent, quid fieri velit. Qua re poeta omnem veritatis speciem neglegit. Nam perfacile fieri potuit, ut miles, cui insidias parant, a foro rediens illas personas in platea colloquentes videret. Eadem ratione v. 1394 Periplecomenus coquus lorariique militem in plateam trahunt. — Iam Mostellariam inspiciamus. Cuius fabulae v. 85 Philolaches nulla alia de causa in plateam progreditur, nisi quod spectatores soliloquium eius audire poeta vult. At omnem veritatis speciem poeta neglegit eo, quod v. 157 Philematium et Scapham domo in plateam producit; quae omnino non habent, cur exeant. Sed infra demum de ea re accuratius disputabimus. — Persae quidem initio Toxilus in plateam egressus est, quem poeta certe nulla alia de causa produxit, nisi ut spectatores eum argentum quaerere comperirent et ille Sagaristionem conveniret. Iterum autem Toxilus post v. 80 domum relinquit neque in hoc loco causam affert exeundi. Sed apparet, cur eum in plateam venire necesse sit. Nam paulo ante Saturio parasitus advenit. Poeta igitur ne hic domum Toxili intret (cf. vs. 77), eum in plateam producit. Quo fit, ut spectatores

[1] cf. Zarncke, Parallelen zur Entführungsgeschichte im Mil. Glor., rhein. M. 39, p. 1 sqq. [2] cf. Polczyk, p. 62 sq.

colloquio sequenti intersint. Mirum quidem est hoc exemplum: post v. 167 domo procedunt Lemniselenis, Toxili amica, et Sophoclidisca ancilla, quae ab era ad Toxilum mittatur. Quaerimus autem, cur meretrix quoque domo exeat, cum haec locuta (vs. 179):

„Miser est qui amat“,

domum redeat. Affert igitur ne minimam quidem causam egrediendi. Sine dubio igitur poeta eam tantum produxit, ut risum spectatorum moveret. Qua de causa v. 183 Toxilus Paegnium domo exeuntem comitatur et v. 302 Sophoclidiscam tantum eo, ut ante aedes Sagaristionem convenire possit. Neque Dordalus leno habet, quod post v. 399[1] domum suam relinquat. At v. 405 Toxilus domo egreditur, quocum lenonem colloqui vult poeta. Neque enim Toxilum domum intrantem facere potest, ne scaena mutetur. — In Poenulo quidem v. 129 Agorastocles et Milphio nulla alia de causa in plateam inducuntur, nisi ut spectatores eorum colloquium audiant. Similiter v. 578 Milphio et Collabiscus non habent, cur domum relinquant. Nemo eos evocavit neque scire possunt adulescentem advocatos iam adduxisse. Poeta autem eos eo temporis momento producit, quo in scaena necessarii sunt. Lyco quidem post v. 720[1] Collabisco domum suam introducto v. 746 in plateam redit, cum poetae lenone ad sequentem scaenam opus sit. Similiter domus relinquendae causam non habet Milphio v. 817[2], quamquam dicit haec:

„Exspecto, quo pacto meae techinae processurae sient.“

Quae verba plane inania sunt. Nam cum lenonis fraude peracta Agorastocles in v. 808 domum redierit, putamus Milphionem iam ab ero certiorem factum esse, quomodo res gestae essent. Apparet igitur servum domum non relinquere, nisi quod cum Syncerasto lenonis servo paulo post adveniente colloquatur necesse est. Ceterum perspicuum est Plautum Milphionem hoc loco tantum contaminationis causa domo procedentem fecisse. Conglutinata enim est Poenulus ex *Καρχηδονίῳ*, in qua fabula sorores a lenone liberatae sunt eo, quod Hanno eas filias suas esse

1) cf. Polczyk, p. 50. 2) cf. Polczyk, p. 41.

cognoscit, et ex altero exemplo Graeco in quo lenoni per Collabiscum fraus fit [1]). Atqui vss. 823 sqq. *Καρχηδονίου* esse apparet, cum Plautus usque ad vs. 816 alterius fabulae actionem persequatur. Sed vss. 817—22 inseruit, ut dua exempla Graeca inter se coniungeret [2]). Et hos vss. tantum ea de causa compositos esse satis apparet. Nam vs. 817 rei factae speciei repugnat. Neque enim fieri potuit, ut architectus doli nondum sciret, quomodo res accidissent. Sed vss. 818 et 819 res iam satis notas comperimus, et vs. 820 nihil nisi dictum continet. Tandem vss. 821 et 22 Syncerastum e templo advenire nuntiatur. Sed eo, quod post v. 960 Agorastocles et Milphio domo in plateam procedunt, poeta efficit, ut fabula coram spectatoribus ad finem adducatur. — Pseudoli initio Calidorus et Pseudolus servus domo procedunt neque est, quod exeant. Immo apparet sermonem eorum magis idoneum esse, qui domi habeatur. Sed ille sermo in platea habeatur necesse est spectatorum causa. Ceterum in hac scaena vestigia contaminationis inveniuntur [3]). Pseudolus enim conglutinata est ex duabus fabulis Graecis, quarum in altera servus ero fraudem facit (A), in altera lenoni, postquam pater promisit se servo dolo peracto viginti minas daturum esse (B). Hunc sermonem ex exemplo A sumptum esse satis demonstratur eo, quod servus vs. 120 dicit haec:

„*Si neminem alium potero tuom tangam patrem.*“

Quae res cum ita se habeat, Leoni [4]) assentior, qui dicit vss. 51—59 a Plauto ipso insertos esse. Certe enim hic epistulae locus ad fabulam B spectat, cuius actio in ea ipsa re vertitur, quod Pseudolo contingit, ut militis nuntium symbolo defraudet. Sin autem Plautus hanc scaenam ex exemplo B sumpsisset, non intellegeremus, cur in expositione componenda fabulae A rationem haberet, quae in Pseudolum comoediam haud multum momenti habeat. Immo verisimilius

---

1) cf. Leo, p. 170 sqq. Langen, p. 181 sqq. Jachmann, *Χάριτες* 1911, p. 249 sqq. 2) Leo, p. 173. Langen, p. 188. Jachmann, p. 261. 3) Pseudolum contaminatam esse demonstraverunt Ladewig, Ueber den Canon des Volc. Sed.; Leo, Nachr. d. Ges. d. Wiss., Gott. 1903, p. 347 sqq.; Bierma, quaestiones de Plautina Pseud., Groning. 1897. 4) l. c. p. 352.

est scaenam expositiciam fabulae A esse et poetam nonnullos vss. inseruisse, quibus haec expositio cum fabula B coniungeretur, qua Plautus multo magis uteretur quam altera. — At post v. 573 [1]) Pseudolus in plateam progreditur nulla alia de causa, nisi ut in scaena sequente adsit et Harpagem conveniat, cui fraudem facere debet. Neque habet puer, quod v. 767 [1]) domo lenonis in plateam procedat, sed Plautus rem ita instituit, ut coram spectatoribus puer de servitute lenonia queratur. Ceterum haec scaena ad Pseudolum fabulam peragendam nihil refert. Itaque puto eam ex fabula A sumptam esse, in qua lenonis dies natalis, ad quem totus act. III spectat, aliquid momenti habuisse videtur. De ea re infra disputabimus [2]). — Deinde v. 955 leno domo procedit his verbis usus;

„*Minus malum hunc hominem esse opinor quam esse censebam coquom:*
Nam nil etiam dum harpagavit praeter cyathum et cantharum."

Quaerimus autem, cur exeat Ballio. Ex verbis eius colligi non potest eum egrediendi causam habere. Iterum Plautus veritatis specie neglecta lenonem eo temporis momento domo producit, cum in scaena adsit necesse est. Nam paulo ante Simia sycophanta advenit, qui Ballioni fraudem faceret. Quod cum spectatorum causa in platea fieri opus sit, exit leno. Idem denuo domo procedit v. 1052 [1]) causa non allata, quod Simonem conveniat necesse est ad sequentes scaenas peragendas. — Iam videamus, num in Rudente quoque personae causa non allata aedes relinquant. Cuius fabulae vss. 592 sqq. [1]) Daemones in plateam progressus spectatoribus somnium narrat. Quo facto Trachalio ex Veneris templo erumpit. Apparet igitur senem a poeta ideo productum esse, ut Trachalionem conveniret atque duas mulieres a lenone liberaret. Etiam v. 892 Daemones causa non allata domum relinquit narratque Gripum servum abiisse „*piscatum ad mare*". Quo facto domum redit. Puto autem eum ob eam ipsam rem exisse, ut spectatorum animum ad Gripum paulo post a litore redeuntem praepararet [1]). Neque minus mirum est, quod senex post v. 1190 ex aedibus in

[1]) cf. Polczyk p. 51. [2]) cf. cap. III B huius partis.

plateam se confert, ut Trachalionem ad Plesidippum mittat. Nonne verisimilius est senem domi manere? At poeta senis et servi colloquium a spectatoribus audiri voluit. Deinde v. 1287 Gripus aedes relinquit causa non allata. In scaenam progressus veru extergere incipit. Nonne magis consentaneum est id domi fieri? Sed poetae servus producendus fuit, ut Labracem ex urbe reversum ante aedes conveniret. Qua re impedit poeta, ne leno in Veneris fanum introeat. — Non saepius in Sticho personae exeundi causam afferunt. Velut in fabula ineunte ante aedes sunt Panegyris et Pamphila sorores [1]. Quae cur exierint, non comperimus, sed facile intellegi potest. Paulo enim post pater earum domum suam relinquit. Quocum ante domum sorores colloqui vult poeta, cum ex eo sermone spectatores multa ad fabulam intellegendam necessaria comperiant. Bethius quidem censet sorores post ianuam apertam sedere [2]. Quae opinio falsa est. Nam in vs. 147 scriptum videmus:

„*Nunc, soror, abeamus intro.*"

Unde apparet eas re vera ante aedes esse [3]. Plautus quidem in fabulis totiens personas causa non allata domo egredientes facit, ut non habeamus, quod in hac fabula de ea re dubitemus. Epignomus quoque, qui v. 523 domo procedit, non affert causam exeundi. Sed poeta eum egredientem facit, cum in sequentibus scaenis adesse debeat. Neque magis verisimile est Stichum post v. 640 cum cado ab ero donato domo in plateam procedere. Sed poetae producendus est, ut cum Sagarino conservo in platea colloquatur. Ac ne Stephanium quidem habet, quod v. 674 domo Epignomi exeat. Quam poeta producit, ut, quid intro fiat, spectatores cognoscant. Quo facto intus redit. — Iam accedamus ad Trinummum. Nam v. 39 poeta Calliclem ideo domo producit, ut impediat, ne Megaronides domum Calliclis intret. Neque Lysiteles habet, quod post v. 222 domo in plateam exeat. Quem poeta exeuntem facit, ut spectatores soliloquium eius audiant et sequens scaena in

---

1) cf. Polczyk, p. 23. 2) p. 311. 3) cf. Doerpfeld-Reisch, p. 268. — Lundstroem, Eranos I. Upsaliae 1896.

platea agatur. Nam v. 276 Philto, pater adulescentis, domo procedit haec verba faciens:

„Quo illic homo foras se penetravit ex aedibus?“

Poeta igitur vult patrem et filium coram spectatoribus colloqui. Deinde v. 402 Lesbonicum et Stasimum nulla alia de causa producit, nisi quod eos in platea Philtonem convenire necesse est. Similiter Megaronides et Callicles post v. 728 [1]) prodeunt, ut spectatores colloquium senum audiant. Sed v. 1125 [1]) Charmides et Callicles domum relinquunt, quod Lysitelem adulescentem in scaena conveniant necesse est. — Denique de Truculento disputemus. Huius fabulae initio (vs. 21.) Diniarchus adulescens domo causa non allata progressus in platea soliloquium habet, quo spectatores de rebus ad fabulam intellegendam necessariis docet. Praeterea Diniarchum Astaphium, Phronesii ancillam, convenire opus est. Quod fieri non posset, nisi adulescens domo progressus esset. Sed omni veritatis specie neglecta v. 448 meretrix ipsa domo procedit, quamquam se puerum peperisse simulat. Quae cum ita sint, nonne putemus eam aptius domi manere? At poeta eam producit, ut scaenae sequentes coram spectatoribus agi possint. Porro puto Stratulacem, Strabacis servum, v. 669 ea ipsa de causa domum relinquere, ut Astaphium conveniat. Quae v. 711 domo procedit. Sed quamquam dicit (vss. 717 sq.): -

„Nec quemquam interim istoc
Ad vos qui sit odio intro mittam“,

tamen non habet, cur exeat. At cum in scaena versetur Diniarchus, apparet eam progredi, ut illum conveniat. Quo facto v. 757 domum redit. Deinde meretrix causa non allata v. 854 in plateam procedit, ut cum Diniarcho, qui iam domum eius intraturus erat, in platea colloquatur.

[1]) cf. Polczyk, 52.

Cap. II.

Non solum domo, sed etiam ex aliis locis personae in saenam nulla necessitate urgente procedunt.

Cuius rei exemplum videmus in Captivis. Nam post v. 460 Ergasilus parasitus advenit [1]), qui v. 191 abiit, ut aliquem quaereret, qui se ad cenam invitaret. Hegio enim ei dixit in vs. 188:

„Asper meus victus sanest."

Itaque paras'tus in foro aliquem invenire studet, qui sibi meliorem victum praebeat. Neque tamen usque ad vs. 460 quisquam eum ad cenam vocavit. Qua de causa dicit (vss. 496 sq.):

„Nunc ibo ad portum hinc. Est illic mi una spes cenatica.
Si ea decolabit, redibo huc ad senem ad cenam asperam."

Sed quaerimus, cur in scaenam veniat. Cuius rei ne minimam quidem affert causam. Certe quidem poeta eum in scaenam venientem facit, ut spectatoribus narret, quid a vs. 191 usque ad hoc temporis momentum fecerit. — Neque aliter res se habet in Cistellaria. Lampadio enim servus lenam convenerat, quae Selenium a Phanostrata matre in hippodromo expositam sustulerat. Vix autem anum adducere potuerat, ut fateretur Selenium vivere et a se Melaenidi amicae datam esse, *„quae educaret eam pro filiola sua."* Sed quaerimus, cur Lampadio lena relicta post v. 535 in scaenam veniat. Nonne est verisimilius eum lenam statim ad Melaenidem sequi? Quod Phanostrata sentit in vs. 584 loquens:

„At non missam oportuit."

Lampadio quidem non habet, cur in scaenam veniat, sed poeta eum produxit, ut ex colloquio servi et erae spectatores de eis rebus certiores fierent, quae in scaena agi non possent. Praeterea autem servum Melaenidem, quae hoc temporis momento in scaena est et illud colloquium aus-

[1]) cf. Polczyk, p. 49.

cultavit, convenire vult poeta. Quo facto Lampadio v. 626 ad anum recurrit. — Neque im Curculione Lyco trapezita habet, cur v. 371 in scaenam veniat. Cuius domus in scaena non videtur atque in soliloquio post v. 370 habito ne minimam quidem causam scaenae adeundae affert. Apparet autem eum a poeta induci, ut Curculionem paulo post domo Phaedromi exeuntem conveniat. Videmus igitur trapezitam in scaenam venire, quod poeta actionem in alium locum transferre non potest. Nam poeta vult Cappadoci lenoni coram spectatoribus fraudem fieri. Aliud quoque exemplum in hac comoedia invenimus. Nam v. 533 in scaenam venit idem Lyco cum Therapontigono milite, quem in via convenit. Quaerimus autem cur in illum ipsum locum veniant. Nonne verisimilius est eos ibi altercari, ubi inter se occurrerunt? Quae res a poeta ita instituta est, ut scaena coram spectatoribus agi posset. Paulo post miles Cappadocem lenonem convenit, quem amicam sibi tradere iubet. At postquam leno ei dixit eam iam abductam esse, non dubitat, quin Curculio sibi anulum surripuerit. Itaque post lenonis discessum haec verba facit (vs. 598 sq.):

„*Quid ego faciam? maneam an abeam? sicine mihi esse os oblitum?*
Cupio dare mercedem qui illunc ubi sit commonstret mihi."

Quibus versibus act. IV. finitur. Puto igitur militem de scaena decedere, ut Curculionem quaerat. Alioqui enim facere non posset, quin Curculionem v. 592 cum clamore domo praecipitantem statim conspiceret. Sed post v. 609 iterum miles in scaena adest. Nam Curculione conspecto dicit in vs. 610:

„*Salvos sum: eccum quem quaerebam. Quid agis, bone vir?*"

At habetne, quod in scaenam redeat? Minime. Sed facile intellegimus, cur poeta rem ita instituerit. Nam Therapontigonus in scaena adsit necesse est, ut Planesium sororem agnoscat. — Iam accedamus ad Menaechmos.

Qua in fabula Menaechmus II, postquam ab Erotio meretrice pallam et spinter accepit, locutus haec (vss. 551 sqq.):

„Di me quidem omnes adiuvant, augent, amant.
Sed quid ego cesso, dum datur mihi occasio
Tempusque abire ab his locis lenonicis?
Propera, Menaechme: fer pedem, confer gradum.
Demam hanc coronam atque abiciam ad laevam manum:
Ut si sequentur me, hac abiisse censeant.
Ibo et conveniam servom, si potero meum,
Ut haec quae bona dant di mihi ex me sciat,"

de scaena decedit. Sed v. 701 redit cum palla et ornamento aureo, postquam servum non invenit. Miramur autem eum in hunc locum redire. Nam id omni veritatis speciei repugnat. Nonne magis consentaneum est eum, ne ab Erotio conspiciatur, hunc locum fugere? Quae res quamquam ita se habet, tamen poetae Menaechmus II reducendus fuit, quod in scaenis sequentibus adsit necesse est. Nam v. 704 domo procedit uxor Menaechmi I. Quam convenire alterum Menaechmum vult poeta, quod nisi ea res accideret scaenae sequentes agi non possent. Deinde v. 899 Menaechmus I in scaenam venit, quamquam et ab uxore et ab amica paulo ante domo exclusus est. Cur igitur redit? Quod facile intellegitur. Adsunt enim socer et medicus, quos Menaechmus conveniat necesse est. Etiam aliud exemplum invenimus in hac fabula. Alter enim Menaechmus v. 882 de scaena decessit his vss. usus:

„Quid cesso abire ad navem dum salvo licet?
Vosque omnes quaeso, si senex revenerit,
Ni me indicetis, qua platea aufugerim."

Senex autem Menaechmum II generum esse ratus post v. 875 abiit, ut medicum arcesseret, cum ei Menaechmus insanire videretur. Qua in re miramur, quod senex insanum generum, qui videtur, incustoditum relinquit. Certe quidem poeta senem abeuntem fecit, ut Menaechmus II effugere posset Sed nihilo minus v. 1050[1] omni specie veritatis neglecta

[1] cf. Polczyk, p. 49 sq.

Menaechmus II cum Messenione, cui obviam factus est, redit At nisi Menaechmus II cum servo in scaenam veniret, haec fabula ad finem non adduceretur. Agnoscit enim ille fratrem in scaena sequente. — Non magis in Mostellaria Tranio habet, quod v. 1041 in scaenam veniat. Poeta autem vult servum spectatores de rebus non in scaena actis docere. Praeterea eum in scaena adesse necesse est, ut Theopropidem conveniat. — Similiter Sagaristio in Persa v. 7 in scaenam non veniret, nisi poeta eum cum Toxilo amico colloqui vellet. — Quaerimus autem, cur in Sticho post v. 154 Gelasimus parasitus scaenam adeat. Crocotium quidem missa, ut parasitum arcesseret, eum antea non convenit. Quod demonstrant haec ancillae verba (vs. 196 sq.):

„Hic illest parasitus, quem arcessitum missa sum.
Quae loquitur auscultabo, priusquam conloquer.“

Neque Gelasimus ipse causam affert. Soliloquium enim habet, quo fabula carere potest. Puto quidem Plautum eum tantum ea de causa induxisse, ut iocis eius spectatorum risum moveret. In Sticho quoque multa contaminationis vestigia inveniuntur. [1]) Facile autem demonstrari potest parasiti partes olim in primae Stichi partis exemplo Graeco non exstitisse. Neque solum causa non allata ad fratrum aedes venit [2]), sed aliis quoque argumentis demonstratur eum ad actionem nihil momenti habere [3]): Quamquam enim Panegyris vss. 150 sq. ancillam parasitum arcessere iubet, tamen ea re poeta nihil aliud spectat, nisi ut parasiti partes cum cetera actione coniungat. Mirum enim est, quod uxor parasitum arcessi iubet, quamquam continuo servus in portu est (v. 153), qui mariti adventum quam celerrime nuntiet. Neque est, quod mulier hodie novi quicquam exspectet. Praeterea parasitus, postquam Epignomus a patria discessit, domum eius non iam intravit (vss. 265 sqq.). Porro in scaena II, 1 re vera Pinacium a portu accurrit, ut Epignomum redisse cum uxore communicet. Gelasimus vero supervacaneus est.

[1]) cf. Leo, p. 168 sqq. [2]) At Captivorum, Men., Pers. parasiti habent cur scaenam ingrediantur. [3]) cf. Leo, Nachr. d. G. d. W., Gott. 1902, p. 381 sqq.

Deinde parasitus a Pinacio deluditur atque era ne respondet quidem ad haec eius verba (v. 327):

„Salve tuo arcessitu venio huc.“

Neque magis commode Plautus parasiti abitum instituit. Nam quamquam Pinacii ludificationem indignatur (cf. vs. 343 sq.), tamen in scaena remanet. At discedit, postquam servus ei per iocum dixit erum parasitos ridiculosissimos (v. 388) secum adducere. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin Leoni assentiamur rato Plautum has parasiti partes Menandreae Ἀδελφῶν actioni (act. I et II) inseruisse. Certe quidem eas quoque ex aliquo exemplo Graeco sumpsit. Leo etiam putat act. III et IV alterius exempli Graeci esse atque act. I et II. Equidem hanc eius sententiam non probo; qua de re infra plura verba faciam. Immo puto act. III et IV eiusdem fabulae Graecae esse atque act. I et II. Rem ita se habere his parasiti partibus circuitione quadam demonstrari potest. Vidimus enim parasiti partes non ex eadem fabula Graeca sumptas esse atque ceteram actionem. Sin autem res ita est, argumentis probari debet Gelasimum act. I et II non eundem esse atque Gelasimum act. III et IV, in quibus parasiti partes cum cetera actione artius cohaerent. Quae res argumentis probari potest. Gelasimus enim abiens haec facit verba (v. 400 sq.):

„Ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus:
Nam ni illos homines expello, ego occidi planissume.“

Sed v. 453 in scaenam reversus haec dicit:

„Libros inspexi: tam confido quam potis
Me meum optenturum regem ridiculis logis.“

At ne unum quidem verbum facit de illis parasitis ridiculosis, quos superandi causa libros inspexit. Neque cum Epignomo colloquens eorum mentionem facit. Haec igitur parasiti scaena abhorret ab eius partibus antea actis. Huc accedit, quod vss. 459 sqq. loquitur, quasi nunc primum scaenam ingrediatur, cum dicat haec:

„Auspicio hodie optumo exivi foras.
Mustela murem abstulit praeter pedes.
Quom strena opscaevavit, spectatum hoc mihist“ e. q. s.

Neque cogitari potest quemquam eiusmodi verba facere, qui iam antea in scaena adfuerit. Immo mihi persuasum est Gelasimum in exemplo Graeco re vera in sc. III, 2 partes suas agere coepisse. Itaque Leo [1]) mihi falso iudicavisse videtur hanc parasiti scaenam cohaerere cum parasiti partibus antea actis. — Sed idem Gelasimus redit in scaenam v. 580 causa non allata. Apparet autem poetam eum in scaenam induxisse, ut cum fratribus, qui in scaena adsunt, colloqueretur. Illud quoque colloquium, cum ad actionem nullius momenti sit, puto a poeta compositum esse, ut risum spectatorum moveret.

Cap. III.

Sed etiam fit, ut personae in scaena restent, quas restare consentaneum non sit.

Cuius rei exempla cum permulta sint, hoc caput dividam in duas particulas litteris A et B significatas.

A.

Saepissime personae, quae partes suas iam egerunt, causa non allata in scaena remanent.

Incipiamus igitur ab Amphitruone. Iuppiter enim cum Alcumena collocutus est. Illa autem v. 914 domum reversa, ut sacrificium apparet, exspectamus Iovem quoque statim intus se recepturum esse. Sed ille remanet, ut spectatorum causa Mercurio absenti imperet haec:

„Fac Amphitruonem advenientem ab aedibus
Ut abigas“ e. q. s.

Quo facto v. 984 Alcumenam domum sequitur. Deinde consentaneum esse videtur Amphitruonem certiorem factum uxorem geminos filios peperisse statim aut saltem post v. 1125 domum ad uxorem introire. At Amphitruo de scaena non decedit. Sed cur poeta rem ita instituerit, facile perspicitur. Apparet enim paulo post Iuppiter, ut Amphitruoni *quae futura et quae facta“* sint, eloquatur. — In Aulularia quidem Euclio senex Staphylae haec dicit (vs. 273 sq.):

---

[1]) l. c. p. 387.

„Tace atque abi: curata fac sint, quom a foro redeam domum.
Atque occlude aedis: iam ego hic adero."

Quo facto exspectamus anum statim intro redituram esse. At illa priusquam intrat, nonnullis vss. spectatoribus narrat, quanto in timore sit, ne probrum Euclionis filiae palam fiat. Lyconides autem Euclionem de filia docet his verbis (vss. 795 sqq.):

„Cur eiulas,
Quem ego avom feci iam ut esses filiai nuptiis?
Nam tua gnata peperit decumo mense post: numerum cape.
Ea re repudium remisit avonculus causa mea.
I intro, exquaere, sitne ita ut ego praedico."

Quibus verbis auditis senex domum intrat haec locutus (vs. 802):

„Ibo intro, ut quid huius verum sit sciam."

Adulescens quidem, quamquam dixit: *„Iam te sequar"*, tamen in platea remanet causa non allata. Dicit autem vss. 804 sqq.:

„Nunc servum esse ubi dicam meum Strobilum non reperio.
Nisi etiam opperiar tamen paulisper: postea intro
Hunc subsequar. Nunc interim spatium ei dabo exquirendi
Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu: ea rem novit."

Sed quaerimus, cur Euclioni spatium exquirendi det, cum ipse senem de stupro filiae facto docuerit. Nonne est verisimilius adulescentem statim cum sene introire, ut amicam videat? Videmus igitur verba adulescentis inania esse. Remanet autem hac de causa: Adulescens servum senis aulam surripuisse cognoscat necesse est, ut seni reddere possit. Itaque poeta v. 808 Strobilum producit. — In Bacchidibus similia exempla invenimus. Chrysalus quidem cum Pistoclero collocutus post v. 229 in scaena remanet, quamquam exspectamus ero domum Bacchidum reverso eum quoque decessurum esse. Sed poeta eum breve

soliloquium habentem facit, ut Nicobulum senem paulo post domo exeuntem conveniat. Nam spectatores eos colloquentes audire opus est. Sed sene ad forum profecto (v. 348), ubi filium esse servus ei dixerat, Chrysalus non statim de scaena decedit. Laetans enim quod senem defraudavit, soliloquium ridiculum habet, quo spectatores delectentur. Deinde in v. 582 Pistoclerus domo meretricum egressus est, quod militis parasitus ostium pulsavit. Qui postquam de scaena discessit (v. 605), adulescentem quoque intus rediturum esse putaveris. At is remanet et de amici praepropero animo queritur. Apparet autem, cur poeta eum non redeuntem faciat. Exit enim post v. 610 amicus ipse. Ita poeta efficit, ut scaenae sequentes coram spectatoribus agantur. Sed omnem veritatis speciem poeta neglegit, cum Chrysalum, Mnesilochum, Pistoclerum in scaena IV, 4 ante aedes remanentes facit, ut ad patrem Mnesilochi litteras scribant. Quod ideo fecit, ut scaena coram spectatoribus ageretur. Omnino enim credi non potest quemquam in platea epistulam componere. Etiam infra de hac scaena disseremus. Sed litteris scriptis, postquam amici domum redierunt, mirum est, quod servus Nicobuli domum non intrat, ut ei epistulam tradat. Dicit enim haec (vs. 768 sq.):

„Adambulabo ad ostium, ut, quando exeat,
Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.“

Quaerimus autem, cur ante aedes subsistat. Quod facile perspicitur. Neque enim poeta servum introeuntem facere potest, ne scaena mutetur. Non magis consentaneum est senem v. 795 solum domum intrare, sed Chrysalum ante aedes remanere. Senex enim servos arcessit, qui Chrysalum vinciant. Neque eum se domum sequi iubet senex, cum paulo post Cleomachus miles adveniat. Quem conveniant ad fabulam peragendam necesse est. Post eius discessum senex servum ad filium domum meretricum mittit *„ut eum dictis plurumis castiget.“* Qui postquam intravit (vs. 912), putamus senem quoque de scaena decessurum esse. Sed priusquam id facit, spectatores docet se Chrysalo non iam temere crediturum esse:

„Verum“, inquit, *„lubet etiam mi has perlegere denuo:*
„Aequomst tabellis consignatis credere.“

Quibus verbis factis domum redit. — In Captivis Ergasilus parasitus ab Hegione, qui v. 900 abiit, ut filio redeunti obviam iret, iussus cenam parare non statim domum intrat, sed soliloquio iocoso spectatores delectat. Deinde v. 922 senex, Philopolemus, Philocrates scaenam adeunt Stalagmum servum secum ducentes. Adulescentes autem v. 954 domum introeunt. Putamus quidem Hegionem quoque domum intraturum esse, ut in Stalagmum intus quaestionem habeat; quod tamen in platea facit spectatorum causa. — Neque aliter res se habet in Casina. Nam in sc. II, 2 Myrrhina et Cleostrata in platea sibi obviam fiunt. Altera enim ad alteram itura est. Quas, postquam convenerunt, exspectamus aut Cleostratae aut Myrrhinae domum intraturas esse, ut colloquantur. Sed in platea subsistunt, quod Cleostrata maritum appropinquantem conspiciat necesse est (v. 216). Saltem exspectaveris eam post amicae discessum intraturam esse[1]). Curnam virum ante aedes opperitur, cui suscenseat? Nonne est verisimilius eam domum intrare, ut Lysidamus se sequatur? Sed scaenam sequentem in platea coram spectatoribus agi vult poeta. Deinde v. 425 Cleostrata, senex, vilicus domum redeunt Olympione et Chalino de Casina sortitis. Sed hic in scaena remanet nulla causa allata. Apparet autem, cur remaneat: paulo enim post Lysidamus et vilicus in plateam procedunt. Chalinus autem ex latibulo colloquium eorum captat. Post eorum discessum Chalinus domum intrat, ut res auditas uxori renuntiet. Quas nisi per Chalinum cognosceret, fabula peragi non posset. At in sc. III, 2 Cleostratam, postquam Alcesimo dixit se Myrrhinam non prius arcessituram esse, quam nuptiae futurae essent, et adiunxit haec verba (vs. 548):

„nunc vale atque istanc iube,"

putaveris domum intraturam esse. Alcesimus enim post breve soliloquium domum redit. Sed matronam remansisse his eius verbis demonstratur:

„Iam hic est lepide ludificatus" e. q. s.

Quid igitur habet, cur de scaena non decedat? Quod facile perspicitur. Advenit enim post v. 532 maritus, quo-

[1]) cf. Polczyk, p. 60.

cum in platea altercatur. Sed matrona v. 591 domum reversa Alcesimus foras se confert. Qui cum Lysidamo collocutus v. 616 abscedit. Itaque alterum senem quoque domum intraturum esse putaveris. Sed ille subsistit. Nam paulo post in plateam se praecipitat Pardalisca, quae Casinam insanire renuntiat. Poeta igitur senem retinuit id spectans, ut spectatores eius angore gauderent. — Porro in Cistellaria Alcesimarchus, postquam lena negavit se Selenium ad eum remissuram esse, iratus abit. Lena autem eum sequi in animo habet (v. 531). Nam *„amens nequid faciat, cauto opust“*. Quam ob rem non verisimile est eam consilio mutato remanere, cum Lampadionem accurrentem conspiciat. Sed servi et Phanostratae colloquium audiat necesse est. Quo facto de scaena decedit his verbis usa (vs. 629 sq.):

„Ibo domum
Atque ad parentes reducam Selenium.“

— In Epidico ineunte Epidicus et Thesprio colloquuntur. Hic quidem v. 81 domum intrat, sed ille remanet, ut secum reputet, quid faciat. Advenit autem paulo post Stratippocles cum Chaeribulo, quos conveniat necesse est. Servus quoque post v. 305[1] Periphane domum ingresso, ut illi argentum ad fidicinam emendam necessarium det, remanet, ut spectatores de rebus necessariis doceat. Quo facto demum introit. Deinde post v. 425 Periphanes cum Apoecide collocutus solus in platea remanet, ut militem paulo post scaenam adeuntem coram spectatoribus conveniat. Puto autem senem etiam post discessum militis et fidicinae (v. 525) in scaena remanere. Neque enim ex verbis eius (vss. 517 sqq.) intellegitur eum de scaena decedere. Et in scaena sequente adest. Nam Philippa conspecta dicit haec (vs. 533):

„Quis illaec est mulier timido pectore peregre adveniens
Quae ipsa se miseratur?“

Audivit igitur eius verba. Itaque iam scaena ineunte adfuit. Neque enim verba facit, quasi hoc temporis momento in scaenam redeat, neque ex vss. 517—25 cognosci potest eum de scaena decedere. Itaque nego eum post v. 525 scaenam

[1]) cf. Polczyk, p. 60.

reliquisse. Neque credibile est a vs. 526 actum IV incipere.[1]) Immo puto eum iam a v. 382 incipere. Neque verisimile est Epidicum Thesprionem, qui in aedibus Apoecidis est, his verbis inclamare (v. 660):

Thesprio, exi istac per hortum: adfer domum auxilium mihi."

Magis quidem consentaneum est eum domum intrare, ut amicum sibi advocet. Deinde autem spectatoribus, quid facturus sit, eloquitur, priusquam Stratophanem et Telestidem intro sequitur. Deinde in extrema fabula senex domum intrat, ut cognoscat, num servus verum dixerit. Exspectamus autem eum Apoecidem servumque secum introducturum esse. Sed illos contra omnem veritatis speciem propter loci unitatem in scaena relinquit. — Porro in Menaechmis senex et medicus Menaechmum I dementem esse rati in vs. 956[2]) domum abierunt. Senex autem servos arcessiturus est, qui Menaechmum ad medicum ducant. Adulescens igitur solus in scaena remanet. Miramur autem, quod non statim hunc locum fugit, priusquam senex cum servis redeat. Sed paulo post advenit Messenio, qui Menachmum I, quem erum esse putet, a servis per senem arcessitis liberat. Ideo igitur Men. I. in scaena retinetur. — In Mercatore verisimile non est Syram quamquam Eutychus in v. 816 ei dixit: *„Sequere me"*, in platea remanere, ut de miserabili uxorum sorte queratur. — In Milite Glorioso post v. 258 Periplecomenus cum Palaestrione collocutus domum redit. Servus autem, quamquam dicit: *„Et quidem ego ibo intro"*, remanet spectatoresque, quid facturus sit, docet. Praeterea Sceledrum paulo post domo exeuntem in platea conveniat spectatorum causa necesse est. Deinde Philocomasio v. 397 domum militis reversa, putaveris servos quoque intus se recepturos esse. Sed Sceledrus dicit haec (vss. 397 sqq.):

„Nunc quidem domi certost: certa res est
Nunc nostrum observare ostium, ubiubist."

---

[1]) cf. H. Keym, De fabulis Terenti in actus dividendis, Gissae 1911.

[2]) cf. Polczyk, p. 41.

Cuius rei causam non habet. Nam si impedire vult, ne Philocomasium domo abeat, eam domum sequi oportet Sed apparet poetam servos intrantes non fecisse, ut scaena sequens agi posset. Exit enim v. 412 Philocomasium senis domo. Quod fieri non posset, si Sceledrus eam secutus domi custodiret. Deinde Palaestrio cum Sceledro collocutus domum vicini intrat (v. 481). Sed Sceledrus, quamquam paulo ante Philocomasium domi militis conspexit, remanet, cum paulo post senex domo egrediatur, qui servum in platea conveniat necesse est. Sed mihi persuasi rem in exemplo Graeco aliter fuisse. Puto enim Palaestrionem post v. 480 in scaena remansisse atque senem iam inter servorum colloquium domo sua progressum esse. Plautus autem in hac comoedia contaminanda hanc scaenam immutavit. De ea re infra accuratius disputabo [1]. — Porro in Persa Dordalus leno in v. 448 [2] domum intrat, ut Toxili amicam domum eius mittat. Nonne verisimilius est Toxilum eum sequi, ut ipse amicam accipiat? Sed ille in platea remanet, quod adsit necesse est, ut lenoni fraudem faciat. Item consentaneum non est in extrema fabula lenonem non statim domum intrare, cum servos ante aedes potantes videret. Immo remanet, quamquam servi et Lemniselenis eum cavillantur. Denique etiam vapulat. Quaerimus autem, cur Dordalus non domum suam fugiat. Sed poeta ea scaena risum spectatorum movere studet. — Perspicuum id quoque est, cur in Poenulo Milphio servus v. 198 Agorastoclem domum non sequatur, quamquam locutus est hos vss. (194 sq.):

„Abeamus intro, ut Collabiscum vilicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.“

Neque est, quod remaneat. Sed poeta eum retinet, quod paulo post Adelphasium et Anterastylis domo lenonis exeunt. Quibus conspectis servus erum evocat. Ceterum Plautus hanc scaenam contaminatione ita instituisse videtur. Leo [3] quidem dicit Plautum hac scaena *Καρχηδονίου* initium cum alterius fabulae iunxisse. Quae sententia argumentis

---

[1] cf. cap. XI huius partis. [2] cf. Polczyk, p. 60.
[3] p. 177 sqq.

probari non potest. Immo puto scaenam I, 1 tantum alterius fabulae Graecae esse, in qua adulescens per Collabiscum vilicum lenoni fraudem facit. Quamquam eiusdem exemplaris etiam sc. I, 2 est, tamen Plautus facere non potuit, quin eius actionem contaminationis causa contraheret. Voluit enim paulo post sc. I, 2 illam fraudem incipi. Quae cum ita sint, Plautus iam in sc. I, 1 eam praeparavit et adulescentem v. 198 domum intrantem facit, ut vilico argentum det (cf. vs. 415 sq.). Sed cum in sc. I, 2 adesse debeat, Plauto servus retinendus est, ut erum sororibus conspectis domo evocet. In exemplo Graeco puto rem fuisse hanc: erus et servus post sc. I, 2 demum consilio lenonis fraudandi inito domum intraverunt, hic ut Collabiscum dolis et sycophantiis exornaret, ille ut interea argentum pararet[1]. Verisimilius autem est vilicum de fraude certiorem fieri, priusquam erus ei argentum det. Certe in exemplo Graeco illius fraudis mentio in scaena expositicia nondum facta est. Immo Plautus eam ita instituit, ut exemplum Graecum contaminandi causa circumcideret. Soliloquium autem Milphionis Plautus certe ipse composuit[2]. Nam vss. 198 et 199 optime ad adulescentem domum ingressum spectant, vs. 200 nihil momenti habet, vss. 201 et 202, quibus servus se lenoni malum allaturum esse dicit, repugnant vs. 199, quo servus putat amores erum magno damno affecturos esse. Apparet igitur Plautum Milphionem ea verba dicentem facere, ut temporis spatium expleat, quo Agorastocles intus vilico argentum dat. — Deinde in sc. V, 2 Hanno Agorastoclem agnoscit. Quo facto exspectamus eos statim domum adulescentis intraturos esse, ut intus colloquantur. Servum autem mittere possunt, qui nutricem sororum arcessat. Sed poeta eos retinet, ne scaenam mutet. Putaveris autem eos saltem cum Giddenine collocutos (vs. 1155) intraturos esse. Quamquam Milphio eam introducere iubetur, tamen Hanno et Agorastocles ante aedes remanentes mulieres exspectant, ut eas coram spectatoribus conveniant. Eadem ratione paulo post poeta utitur. Nam recognitione patris et filiarum facta omnes personae nulla re coactae in platea

[1] cf. Jachmann, *Χάριτες* 1911, p. 257 sq.

[2] cf. Leo, Der Monolog im Drama, p. 56[4].

remanent, quod necessariae sunt ad fabulam peragendam. — Putamus autem in Pseudolo Ballionem v. 230 statim ad forum se collaturum esse, postquam servis et meretricibus, quid fieri vellet, ostendit. Sed Calidoro et Pseudolo collocutis lenonem dicentem audimus (vs. 241):

„It dies: ego mihi cesso * * *
I prae, puere.“

Neque est, cur non iam prius abierit. Sed poeta eum retinet, ut antea Calidorus cum Pseudolo colloqui possit. Ceterum haec discrepantia ex contaminatione enata esse videtur. Nam sc. I, 2 ad exemplum A pertinet, sed scaena sequens ad exemplum B. Plautus, ut has scaenas inter se coniungeret breve Pseudoli et Calidori colloquium inseruit (vss. 230—240). In fabula A leno v. 230 scaenam reliquisse videtur. Sed in exemplari B lenonem paulo ante v. 240 domo egressum cum Calidoro et Pseudolo collocutum esse puto. Quo facto in hac quoque fabula ad forum se contulit. Plautus igitur contaminatione perfecit, ut nobis non appareat, cur leno post v. 229 in scaena remaneat. Neque intellegi potest, quidnam inter vs. 230—240 faciat. — Denique adulescens de scaena decedit, ut amicum aliquem arcessat. Sed Pseudolus remanet causa non allata. Apparet autem eum non abire, quod paulo post Simo et Callipho scaenam adeunt. Quibuscum Pseudolus coram spectatoribus colloquatur necesse est. Eo ex colloquio satis apparet hanc comoediam contaminatam esse [1]). Pseudoli enim soliloquium (vss. 395 sqq.) certe ad exemplum A pertinet. Quod demonstratur vss. 410 sqq.:

„Erum eccum video huc Simonem una simul
Cum suo vicino Calliphone incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem erili filio.“

Et in colloquio cum senibus habito Pseudolus dicit, se Simonem adducturum esse, ut sua sponte argentum det (cf. vs. 518). Quod ad exemplum A spectat. Sed eis verbis factis servus senibus narrat se lenoni per dolum adulescentis

[1]) cf. Leo, Nachr. d. G. d. W., Gott. 1903, p. 349 sq.

amicam erepturum esse. Simoni autem dicit haec (vss. 535 sqq.):

„Sed si effecero,
Dabin mihi argentum quod dem lenoni ilico
Tua voluntate?"

Et senex se daturum esse Pseudolo pollicetur. Ea res ad fabulam B pertinet. Deinde servus Calliphonem orat, ut se adiuvet et domi usque adsit. Atqui ille senex postea in scaenam non revertitur. Cur igitur servus auxilium ab eo petivit? Certe quidem Callipho in fabula A maiores partes egit[1]). Equidem existimo sc. I, 5 ex fabula A sumptam esse praeter vss. 522—45, quos Plautus inseruit, ut fabulae B et fabulae A actionem artius inter se coniungeret. — Post illud colloquium Pseudolus, priusquam domum intrat, spectatoribus narrat, quid domi facturus sit (vss. 561—73). Neque aliter res se habet post Pseudoli et Harpagis colloquium. Hic postquam discessit, Pseudolus remanens spectatores docet, quo modo fraudem facturus sit Simoni, Ballioni, Harpagi. Quo facto Calidorus cum Charino in scaenam redit, quibuscum servo de fraude facienda convenit. Deinde Ballio coquum in foro conductum domum deducit. Quo post colloquium intromisso leno remanet, ut spectatores certiores faciat se a Calidori patre admonitum esse, ut Pseudolum caveret. Similiter post v. 1237 Simo spectatoribus narrat se Pseudolo XX minas promissas daturum esse, priusquam domum intret. — In Rudentis sc. III, 2 Trachalionem miramur. Qui ex Veneris templo se praecipitavit, ut a vicinis auxilium peteret. Daemones autem cum duobus servis in templum abit, ut Palaestrae et Ampeliscae succurrat. Nonne exspectamus servum quoque in templum rediturum esse? Sed ille remanet, quod poeta eum mulieres paulo post ex fano fugientes consolari vult. — Porro in Sticho Antipho filias suas adit, quae ante aedes sunt. Senex enim exquirere vult, quo animo in maritos iam triennium absentes sint. Interrogat igitur alteram earum (vs. 102):

„Numquis hic est alienus nostris dictis auceps auribus?"

Nonne autem verisimilius est quemquam domum intrare, ut de rebus occultis colloquatur? Sed eae personae ante

[1]) cf. Leo, l. c. p. 351.

domum remaneant necesse est spectatorum causa[1]). In eadem fabula Panegyris ancillam mittit, quae Gelasimum parasitum arcessat. Ancilla autem parasitum ante aedes conspectum adhortatur, ut statim ad eram veniat. Qui eam domum ire (vs. 264 sq.) iubet, sed ipse remanet, quamquam miratur, cur uxor Epignomi se subito advocaverit. Sed Plautus eum in platea retinet, quod paulo post Pinacium a portu accurrit, quocum Gelasimum colloqui poeta vult. Deinde per puerum foras pulsantem era domo evocatur. Quo fit, ut scaenae sequentes coram spectatoribus agantur. Verisimilius quidem est eram servum parasitumque domum intrare iubere. Aliud quoque exemplum in hac fabula invenimus. Nam Epignomus domo procedens (v. 523) in platea socerum et fratrem convenit[1]. Dicit autem fratri (vs. 533):

„Abi intro ad me et lava."

Sed ille domum suam intrare in animo habet *„deos salutatum atque uxorem"*, cum paulo ante demum in patriam reverterit. Cui postquam Epignomus respondit vs. 536:

„Apud nos eccillam festinat cum sorore uxor tua", exspectamus eos domum intraturos esse. Senex autem eos rogat, ut paullisper remaneant, dum fabellam narraverit Quo facto scaenam relinquit. At fratres nondum introeunt. Advenit enim Gelasimus, quem in scaena sequente illudunt. Quam omnem actionem et inter fratres parasitumque et inter fratres socerumque cum poeta coram spectatoribus fieri voluerit, fratres in scaena retinet. — Etiam de Trinummo pauca verba faciam. Qua in fabula colloquuntur Megaronides et Callicles. Quo facto ille solus remanet et soliloquium habet de hominum vaniloquentia (vss. 199 sqq.). Nam amicum castigare in animo habuit, sed cognoscit eum innocentem esse. Deinde Philto a Lysitele filio rogatur, ut statim Lesbonici domum se conferat, cuius sororem filio deposcat. Lysiteles autem v. 392 in aedes patris redit. Exspectamus igitur senem mox ad Lesboniscum se collaturum esse. Sed ille soliloquium habet. Interea autem adulescens ipse cum

---

[1]) cf. Polczyk, p. 60 sq.

Stasimo servo foras egreditur. Qua ratione poeta efficit, ut spectatores sequenti scaenae intersint. Similiter in sc. III, 1 Stasimus cum Callicle collocutus remanet et secum loquitur. Quem poeta ideo retinet, ut Lysitelem et Lesbonicum paulo post scaenam adeuntes conveniat. Haud aliter Charmides post sycophantae discessum soliloquium habens remanet, ut cum Stasimo paulo post accurrente in platea colloquatur. Exspectamus quidem senem, qui iam in v. 820 ex itinere reversus in scaenam venit, post sycophantae discessum domum suam intraturum esse, ut suos videat. — Denique accedamus ad Truculentum. Cuius fabulae v. 322 Diniarchus domo Phronesii procedit, ut Astaphium, eius ancillam, quae ante ianuam stat, ad amicam lavantem mittat, cui se adesse nuntiet. Ancilla quidem domum abit, sed ille ante ostium subsistit, quamquam consentaneum est eum domum redire. Cuius rei causa facile perspicitur. Poeta enim eum retinet, ne scaena mutetur. Itaque paulo post Phronesium in scaenam inducit, ut spectatores actioni interesse possint[1]. Deinde in sc. III, 1 Astaphium Strabaci ianuam aperit. Quo intromisso cogites eam domum redituram esse. Sed illa specie veritatis neglecta remanet. Advenit enim paulo post Stratulax, quocum colloquitur[2]. Neque Diniarchus ab Astaphio impeditus, ne intret, habet, cur in platea subsistat. Multo autem verisimilius est eum fugere. Videt enim Calliclem tonstricem Phronesii et ancillam adducentem, quae Diniarchi filium ex filia Calliclis natum meretrici supposuerunt. Sed adulescens remanet, quod in scaena adsit necesse est[2]. Phronesium quoque cum Diniarcho collocuta cum Astaphio post v. 883 in platea remanet, quamquam causam huius rei non habet. Sed poeta, quod eam cum milite paulo post adveniente coram spectatoribus colloqui vult, eam in scaena retinet.

---

[1] cf. Polczyk, p. 43 sq. [2] cf. Polczyk, 61 sq.

B.

Haud raro personae alicunde advenientes, quas statim domum intraturas esse putaveris, ante aedes aut solae secum aut cum aliis colloquuntur, priusquam domum introeunt.

Exempla huius rei haec sunt. In Amphitruone fabula ineunte advenit Sosia[1]), qui erae nuntium afferat Amphitruonis reditus. Certe quidem exspectandum est eum statim intraturum esse, ut eri mandata exsequatur. At ille ante aedes subsistens magnum soliloquium habet. Neque dubitandum est, quin servus ideo domum non statim ingrediatur, quod poeta res ad fabulam intellegendam necessarias eum narrare vult. Neque alia de causa Amphitruo et Sosia v. 551 scaenam adeuntes ante aedes subsistunt, quamquam putaveris Amphitruonem cupiditate uxoris salutandae ardere. Sed ille servum increpat, „*quia id quod neque est neque fuit neque futurumst*“ sibi praedicet. Magni momenti hoc exemplum est. Advenit enim Iuppiter, ut iterum ad Alcumenam se conferat. Sed priusquam domum intrat soliloquium habet (v. 861—881). Ea quoque verba contaminationi huius fabulae argumento esse puto. Miramur enim Iovem loqui, quasi antea nondum scaenam adierit, cf. v. 861—66:

„*Ego sum ille Amphitruo, quoiist servos Sosia,*
Idem Mĕrcurius qui fit, quando commodumst,
In superiore qui habito cenaculo,
Qui interdum fio Iuppiter, quando lubet.
Huc autem quom extemplo adventum adporto, ilico
Amphitruo fio et vestitum inmuto meum".

Quae res hoc modo se habere videtur: in fabula B, quae turbas et partum continuit, deus hoc loco re vera primum a poeta inductus est. Quae res si ita se habet, ei haec verba facienda sunt. Ad idem exemplum Graecum pertinent v. 873—79. Vss. igitur 861—66 et 873—79 cohaerent cum actibus III, IV, V, quibus fabula B continetur[2]). Sed Plautus, ut fabulam B cum fabula A, in qua Iuppiter coniu-

---

[1]) cf. Polczyk, p. 54.
[2]) cf. Leo, Nachr. d. G. d. W., Gott. 1911, p. 258 sq.

gum iurgium disceptavisse et praenuntiavisse videtur uxorem Herculem a se conceptum parituram esse, coniungeret, v. 867—72 inseruit, quos ad exemplar A spectare apparet. Etiam Mercurius vss. 984 sqq. soliloquio spectatoribus narrat, quid facturus sit, priusquam domum intrat. Post illud Mercurii soliloquium Amphitruo a portu redit, quo ierat (v. 860), ut Naucratem peteret. Sed priusquam domum intrare conatur, narrat se Naucratem non invenisse (v. 1009-14). Equidem Leonem sequar [1], qui existimat hanc quoque rem ex contaminatione enatam esse. Verisimile enim est in fabula A Naucratem easdem partes egisse quas Blepharo in fabula B (v. 1035 sqq.). Neque Plautus Naucratem in scaenam inducit, cum in fabula contaminata eius persona supervacanea sit. Huic rei adiciam haec. Apparet enim ex v. 1009:

„Naucratem quem convenire volui, in navi non erat“,

Plautum Thebas urbem maritimam esse fingere. Quod demonstratur etiam vss. 149. 163. 195. 460. 664. 701. 731. 849. 854. 967. [2] Neque tamen haec discrepantia ex Amphitruonis contaminatione orta est. Nam vss. enumeratorum pars ad exemplar A, pars ad exemplar B pertinet. Praeterea poeta Graecus Thebas urbem martimam facere non potuit. Immo Langenus mihi recte iudicavisse videtur Plautum ipsum huius discrepantiae auctorem fuisse. Neque enim poeta, cum ceterae omnes fabulae Plautinae in urbibus maritimis agantur, in hac fabula componenda ab eo usu discessit. — In Asinaria quidem post v. 266 Leonida celeriter accurrit, ut Libanum aut familiarem filium conveniat. Putamus igitur eum statim domum intraturum esse, ut eos quaerat. Sed ille ante aedes multa verba facit, dum v. 296 Libanus eius verbis ex occulto auditis conservum alloquitur. Plautus autem veritatis specie neglecta Leonidae verba supra modum extendit, cum spectatores iis delectentur. [3] Neque hac scaena species veritatis servatur. Mercatori enim fraude facta redeunt Libanus et Leonida, ut Argyrippo argentum tradant. Iterum, quamquam consentaneum esse putaveris eos statim domum intrare, tamen in scaena remanent, ut colloquio

---

[1] l. c. p. 261. [2] cf. Langen, p. 95 sq.

[3] cf. Polczyk, p. 54.

eorum spectatores et gaudeant et de rebus non in scaena actis certiores fiant. Praeterea poetae impediendum est, quominus domum intrent. Procedit enim in scaenam paulo post Argyrippus ipse.[1] Qua re efficit poeta, ut spectatores actioni intersint. — Similiter in Aularia Euclio a foro rediens ante aedes subsistit, ut narret, quid in foro fecerit. Praeterea puto poetam senem idcirco in scaena retinere, ut spectatores delectentur Euclionis angore haec coqui verba audientis (v. 390 sq.):

„Aulam maiorem si potes vicinia
Pete: haec parvast, capere non quit.“

Neque aliter Megadorus, qui v. 265 ad forum se contulit, in scaenam reversus ante aedes subsistit, ut secum solus colloquatur. Sed plane incredibile est Euclionem ex templo Fidei redeuntem, in quo aurum abdidit, non statim domum introire, sed soliloquio deam invocare, ut thesaurum sibi integrum servet (v. 608 sqq.). Quod ideo fit, ut Strobilus senis verba audiat. — Sed in Bacchidibus Mnesilochus ex itinere reversus in scaenam adveniens ante aedes specie rei factae neglecta soliloquium habet (v. 385 sqq.), quod Lydi et Philoxeni, qui paulo post scaenam adeunt, colloquium audiat necesse est[1]. Etiam Chrysalus domum rediens soliloquium habet (v. 640 sqq.), quo spectatores delectentur. Idem servus v. 925 domo Bacchidum procedit, ut Nicobulo filii epistulam tradat. Exspectaveris igitur eum statim ad senem se collaturum esse. Ille autem in platea subsistens spectatores magna oratione ridicula de summa epistulae docet. Deinde ad senem iturus est, cum ille foras exit Ita fit, ut spectatores sequenti scaenae intersint. Eiusdem fabulae actu V ineunte scaenam adit Philoxenus, qui in soliloquio haec dicit (v. 1084 sq.):

„Nunc Mnesilochum, quod mandavi,
Viso ecquid eum ad virtutem aut ad frugem opera sua compulerit:
Sicut eum, si convenit, scio fecisse, eost ingenio natus.“

Sed quamquam consentaneum est senem his verbis factis statim Nicobuli domum intrare ille ante aedes sub-

[1] cf. Polczyk, p. 55.

sistit[1]). Procedit enim in scaenam Nicobulus, ut domum Bacchidum se conferat, quod cognovit sibi fraudem factam esse. At ille propositum non statim peragit, sed ipse secum loquitur. Ignoramus autem, quidnam Philoxenus inter Nicobuli verba faciat. Mirum quidem est, quod amicum non prius neque videt, neque loquentem audit quam in v. 1104 sq. Quo facto senes de filiis conquesti ad aedes meretricum accedunt pulsantque ianuam. Poeta quidem Philoxenum tantum eo retinuit, ut ante senum colloquium spectatores de rebus necessariis certiores fierent. — Iam ad Captivos accedamus. Qua fabula ineunte Ergasilus parasitus scaenam adit, ut ad Hegionem se conferat. At ante aedes subsistens soliloquium habet (v. 69 sqq.), quod poeta composuit non solum expositionis causa, sed etiam ut parasiti naturam describeret. Hegio autem a fratre rediens ante domum spectatoribus res non in scaena actas narrat (v. 498 sqq.), priusquam intus se confert, atque etiam parasitus, qui v. 768 accurrit, ut Hegioni nuntium de filii reditu afferat, ante aedes complures vss. loquitur[2]). Sed cum Hegionem paulo post domo procedentem non videat, exspectamus eum statim ostium pulsaturum esse. Ergasilus autem, quamquam se celeriter accurrere simulat, tamen specie veritatis neglecta in vs. 830 demum ad ianuam pervenit[3]). Similiter Hegio cum filio et Philocrate et Stalagmo servo in scaenam rediens non habet, cur in platea maneat neque domum intret (v. 922 sq.). Sed poeta unius loci causa eas personas in platea retinet. Saltem exspectaveris senem introiturum esse, ut in Stalagmum quaestionem faciat. At spectatorum causa quaestio in platea fit ibique etiam filii patrisque recognitio. Tum demum Hegio ceterique introeunt. — Ne Casina quidem similibus exemplis vacat. Lysidamus quidem v. 217 scaenam adiens intus se non confert, sed in platea soliloquium habet. Quo modo poeta spectatores de senis moribus et animo certiores facit. Idem senex postea a foro reversus, quid intra tempus interpositum fecerit, enarrat (v. 563 sqq.). — In Cistellaria Alcesimarchus v. 203 rure domum redire

1) cf. Polczyk, p. 55. 2) cf. Polczyk, p. 55 sq.
3) cf. Langen, p. 121 sq.

videtur. Dicit enim vss. 225 sqq.:

„Ita pater apud villam detinuit
Me hos dies sex ruri continuos
Neque licitum intereast meam amicam visere."

Quae res si ita se habet, eius quoque soliloquium in his exemplis enumerandum est. — Porro in Curculione parasitus eodem modo, quo Ergasilus in Captivis celeriter in scaenam accurrit, ut Phaedromo gravem nuntium afferat. At tantum abest, ut statim ad domum se conferat, ut etiam, quamquam se magna celeritate uti simulat, complures vss. loquatur (v. 280—98. 301. 302). Puto autem poetam, cum Curculionis verba idonea sint, quibus spectatorum risus moveatur, in hac scaena veritatis speciem neglegere[1]. Leno autem a foro reversus, priusquam domum intraturus est, spectatores de rebus in foro actis certiores facit (v. 679 sqq.). — Similiter in Epidico Stratippocles et Chaeribulus, priusquam introeunt, in platea de rebus spectatoribus ad fabulam intellegendam necessariis colloquuntur. Cui colloquio paulo post Epidicus quoque interest. Stratippocles autem ne patri obviam fiat, domum Chaeribuli se confert. Quae res cum ita se habeat, miramur, quod non statim introeunt, sed in platea, ubi patris quoque Stratippoclis aedes sunt, colloquuntur. At Plautus unius loci necessitate scaenam ita instituere coactus est. — In Menaechmis Peniculus parasitus, qui ad erum se conferre vult, ante eius aedes soliloquium ridiculum habet, quo spectatores delectentur (v. 77 sqq.). Neque verisimile est Menaechmum I a foro redeuntem ante Erotii domum soliloquium longum habere, quamquam ipse dicit haec (v. 600):

„Iratast credo nunc mihi."

Diutius enim in foro moratus est. Sed poeta Menaechmum spectatorum causa, cur tam diu afuerit, narrantem facit. Praeterea autem hoc Menaechmi soliloquium composuit poeta, ut uxor et parasitus ex latibulo audiant haec eius verba (v. 600 sq.):

„Placabit (sc. Erotium) *palla quam dedi,*
„Quam hodie uxori abstuli atque huic detuli Erotio."

---

[1] cf. Langen p. 134.

— Eodem modo quo parasiti in Captivis et Curculione, in Mercatore Acanthio quoque servus celeriter in scaenam accurrit, ut erum conveniat. Ille quoque, quamquam festinare se testatur, tamen multa verba facit (v. 111—130), priusquam ostium pulsat[1]. Post v. 225 Demipho a portu in scaenam redit. Sed quamquam ei non est, cur ante aedes maneat, tamen subsistit, ut secum ipse loquatur. Narrat enim spectatoribus, quid proxima nocte somniaverit. Qua in re dicam etiam in Rudente senem somnium narrare (v. 593 sqq.). Neque negari potest illas somniorum narrationes inter se cohaerere. Marxius[2] quidem putat Plautum somnium Mercatoris ipsum composuisse Rudentem imitantem. Sed quamquam concedendum est narrationem Rudentis subtiliorem esse quam Mercatoris, tamen Leonem[3] sequar, cui persuasum est illam narrationum similitudinem iam in exemplis Graecis fuisse. Diphilum enim (qui Rudentis exemplar composuit). imitatum esse Philemonem (qui Mercatoris exemplum composuit). Huius rei haec argumenta affert: In tragoediis Graecis personae somnia narrare solent, cum primum in scaenam progressae sunt, ut Atossa in Aeschyli Persis (v. 175 sqq.) et Hecaba in Euripidis Hec. (v. 59 sqq.). Philemonem igitur tragicorum poetarum exemplum imitatum esse apparet. Nam senem somnium narrantem fecit, cum primum scaenam adiit. Sed in Rudente Daemones iam ante v. 593 partes in scaena egit. Praeterea haud facile cogitandum est Daemonem proxima nocte somniavisse. Dicit enim Sceparnio fabula ineunte haec (v. 83 sqq.):

„Pro di immortales, tempestatem quoiusmodi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma.
Detexit ventus villam“ e. q. s.

Porro mirum est, quod senex media in fabula subito somnii mentionem facit. Huc accedit, quod illud somnium Rudentis tantum ad actum III pertinet, cum in Mercatore ad totam fabulam spectet. Excogitavit igitur somnium Philemo et Diphilus imitatus est[4]. Huic autem contigit, ut subtilio-

---

1) cf. Langen, p. 158 sq. 2) Sitzungsber. d. Wien. Akad. 1899, 140, VIII. Lindsay, Bursians Jahresberichte, 130, 1906. 3) p. 162 sqq. 4) Leo in p. 167 adn. 1 demonstrat in aliis quoque fabulis Diphilo similem rationem esse cum Philemone.

rem narrationem componeret. Neque nobis mirandum est, quod nonnulla verba Mercatoris narrationis eadem sunt atque narrationis Rudentis. Equidem Leoni assentior, qui dicit haec[1]: „*Der gleiche Wortlaut gehört also auch den Originalen an; daß Plautus seine frühere Übersetzung verwendete, ist natürlich.*“ — In eadem fabula Charinus domum rediens ante aedes multis vss. queritur, quod pater sibi amicam eripere velit.. Etiam eo poeta unius loci rationem habet, quod Lysimachum et Pasicompsam post v. 497 a portu advenientes, priusquam domum intrant, ante aedes colloqui fingit. Quo sermone spectatores res ad actionem intellegendam necessarias comperiunt. Paulo post Demipho redit, ut domum vicini se conferat. Sed hic quoque in platea subsistit, ut gaudium exprimat, quod meretricem emerit. — Item consentaneum non est Pyrgopolinicem in Milite Glorioso cum Palaestrione domum redeuntem non introire, sed ante aedes sermonem incipere. Quam scaenam poeta ita instituit, cum Milphidippa paulo post senis aedes relinquens militem coram spectatoribus conveniat necesse sit. — In Mostellaria quidem miramur, quod Tranio, quamquam eum nihil antiquius habiturum esse, quam ut Philolachi senis reditum nuntiet, exspectamus, scaenam ingressus soliloquïo (v. 347 sqq.) spectatores docet et delectat, priusquam ad ostium accedit. Similiter Theopropides rediens brevi soliloquio (v. 413 sqq.) spectatores de rebus necessariis certiores facit, priusquam domum introire conatur. Id quoque incredibile est danistam, qui v. 532 scaenam adit, ut a Philolache usuras praestandas exigat, se ilico domum non conferre. Equidem puto poetam, ut spectatores gaudio afficeret, scaenam ita instituisse. Nam Tranio, postquam danistam conspexit, ad eum accessurus est, cum senex in scaenam redit. Apparet autem gestus et sermonem servi, qui animo angitur et timet, ne erus se conspiciat, ridiculum esse. Simili modo Phaniscus scaenam adiens, ut erum domo Philolachis abducat, priusquam ianuam pultat, iculariter solus secum, deinde cum conservo colloquitur[2]. — Sed in Persa Saturionem parasitum, qui ad Toxilum se conferre

[1] p. 165. [2] cf. Polczyk, p. 56.

vult (v. 53), poeta ante aedes soliloquium habentem facit, ut eius animum spectatores cognoscant. Plane autem verae rei factae speciei repugnat haec scaena. Advenit enim post v. 250 Sagaristio, ut Toxilo amico nuntium afferat se ei pecuniam comparavisse. Nonne igitur consentaneum est eum statim domum intrare? At ille in platea subsistens per multos vss. secum loquitur. Deinde cum Paegnio, qui domo meretricis ad Toxilum reversurus est, altercatur, quod non respondet Sagaristioni interroganti, ubi erus sit. Estne autem necesse eum a puero id quaerere? Toxilus enim amico dixit haec (vss. 51 sqq.):

„*Sed recipe quam primum potes: cave fuas mihi in quaestione.*

Usque ero domi", *e. q. s.*[1]).

Satis igitur apparet poetam illud Sagaristionis et pueri convicium tantum eo composuisse, ut spectatores delectaret. Qua in re verisimilitudinis ne minimam quidem habuit rationem. In eadem fabula Saturio filiam in Toxili aedes deducturus est, per quam leno defraudetur. Putamus igitur parasitum cum ea quam celerrime intraturum esse, ne leno virginem conspiciat. Sed antea in platea colloquium fit. Quod poeta composuisse videtur, ut virginis mores spectatoribus proponeret. — Leno autem in Poenulo ex Veneris templo reversus (v. 449) narrat sacrificium deae factum non litavisse. Deinde poeta eum cum Antamoenide milite, qui rebus gestis commenticiis gloriatur, colloquentem facit, ut spectatores gaudio afficiat. Tum demum Lycus militem introducit. Ut iam supra diximus Poenulus comoedia contaminata est. Itaque ex singulis scaenis cognosci potest, ad utrum exemplorum spectent. Neque tamen haec scaena per se de ea re nos docet. Langenum quidem si sequemur act. I—III non *Καρχηδονίου* esse ratum[2]), haec quoque scaena alteri exemplo Graeco tribuendum erit. At certe Leoni assentiri debemus qui demonstravit vss. 499—503 *Καρχηδονίου* esse[3]). Cuius opinio hac scaena probatur. Revertitur enim v. 823 ex templo Syncerastus, Lyci servus. Qui priusquam in aedes se confert, soliloquium habet, in quo dicit haec

[1]) cf. Polczyk, p. 56. [2]) p. 185 sq. [3]) p. 174 sq.

(v. 847 sq.):

„Nunc domum haec ab aedi Veneris refero vasa, ubi hostiis
Erus nequivit propitiare Venerem suo festo die.“

Quae verba congruunt cum v. 449 sqq.. Soliloquio autem finito Syncerastus cum Milphione sermonem incipit, in quo cum eo communicat sorores ingenuas Carthaginienses esse. Unde apparet hanc scaenam *Καρχηδονίου* esse. Neque cum ea scaena et act. II inter se cohaereant, illum eadem ex fabula sumptum esse negari potest. Itaque *Καρχηδονίου* sunt act. II, IV, V, reliqui alterius fabulae. Neque incredibile est vss. 823 sqq. in *Καρχηδονίῳ* secundum act. II secutos esse. Certe quidem Leoni concedendum est Syncerasti reditum post v. 503 effectu maiore futurum fuisse quam post act. III. Nam hoc actu scaena IV, 2 et act. II inter se cohaerentes nimis dilabuntur. Certe rectius esse credas servum paulo post lenonis reditum vasa ex templo deae domum portare. Ea quoque re demonstratur act. III a Plauto non eodem ex Graeco exemplo sumptum esse atque act. II et IV. — Iam ad Pseudolum accedamus. Nam huius fabulae post v. 789 Ballio cum coquo a foro domum redit. At non statim eum leno introducit[1]), sed antea cum eo colloquium habet, quo spectatores gaudio afficiantur. Quae scaena cum reliqua fabula artius non cohaeret. Leno enim, ut diem natalem celebraret, coquum arcessivit. Sed cum ille dies natalis in fabulam nullius momenti sit, eo magis miramur, quod poeta scaenam longius extendit. Itaque Leo[2]) et Bierma[3]) putant diem natalem olim ad actionem magis pertinuisse. Quod mihi sane credibile esse videtur. Schmittius[4]) vero hanc sententiam impugnat. Negat enim actum III cum ceterarum scaenarum actione artius copulari necesse fuisse. Poetam quidem nihil spectavisse, nisi ut per coqui personam spectatorum risum moveret. Neque hanc scaenam alienam esse ab Aulularia sc. III, 1 et Casinae sc. III, 6. Quae opinio mihi falsa esse videtur. Nam si hanc scaenam cum

---

1) cf. Polczyk, p. 56. 2) Nachr. d. G. d. W., Gott. 1903 p. 352.
3) Quaestiones de Plautina Pseudolo, 1897, p. 87.
4) De Pseudoli Plautinae exemplo Attico, diss. Argentor. 1909 p. 53.

illis comparaveris, cognosces illas scaenas multo artius cum reliqua actione cohaerere quam Pseudoli sc. III, 2. In Aulularia quidem coqui conducti sunt, cum Megadorus hodie Euclionis filiam uxorem ducere in animo habeat, quae res ad fabulam peragendam magni momenti est. Neque aliter res se habet in Casina. Lysidamus enim coquos adducit, ut epulas nuptiales apparent. Personae autem huius fabulae saepe illarum nuptiarum mentionem faciunt. Eae igitur scaenae, quamquam ridendi causa compositae sunt, tamen artius cum cetera actione coniunctae sunt quam Pseudoli sc. III, 2. Praeterea cum sc. I, 2 et III, 1 etiam ad lenonis diem natalem spectent, fieri non potest, quin olim ea res in exemplo Graeco aliquid momenti habuerit. Sed puto totum act. III exempli A esse. Cohaeret enim cum sc. I, 2, quae mihi exemplaris A esse videtur his de causis: in fabula B meretrix ad amatorem epistulam scribit, ut se redimat, priusquam a militis servo abducatur. Quae res satis est ad adulescentem movendum, ut lenoni fraudem faciat. Itaque mihi sc. I, 2 in hac fabula quasi supervacanea esse videtur. At optime ad exemplum A apta est. Adulescenti enim, ut amicam redimat, per servum patrem defraudare in animo est, atque sc. I, 2 idonea est, qua impellatur, ut quam celerrime fallaciam in patrem intendat. Praeterea leno Phoenicium increpat his verbis (v. 225 sqq.):

„Tu autem, quae pro capite argentum mihi iam iamque numeras,
Ea pacisci modo scis, sed quod pactas non scis solvere,
Phoenicium, tibi ego haec loquor, deliciae summatum virum:
Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur,
Cras, Phoenicium, poenicio corio invises pergulam.“

Certe leno ita loqui non posset, si miles ei iam XV minas dedisset et scripsisset se hodie nuntium missurum esse, qui meretricem abducturus esset. — Id quoque miramur, quod Pseudolus Simiam ad domum lenoniam deductum (v. 905) statim introire non iubet, sed cum eo ante aedes colloquitur. Erat enim eis timendum, ne forte leno exiret

et suspicaretur. Praeterea autem lenoni fraus quam celerrime peragenda est, ne prius Harpax, militis nuntius, qui v. 666 dormitum abiit, in scaenam redeat. Qui v. 1103 in scaenam reversus non statim ad domum lenonis accedit, sed solus secum colloquitur. Sed postea Pseudolus ebrius in scaenam redit, ut a Simone fraude lenoni facta argentum sibi promissum petat. Putaveris igitur eum statim intus se collaturum esse. At ille multis vss. spectatoribus, quid extra scaenam acciderit, narrat, priusquam fores pultat. Quam servi monodiam Leo [1]) existimat Plautum non ex Graeco exemplo sumpsisse sed ipsum composuisse. Huius rei haec sunt argumenta. Nam v. 1282 servus dicit:

„Inde huc exii, crapulam dum amoverem."

Quae procedendi ratio quamquam satis est, tamen etiam alteram causam profert, cum v. 1283 haec faciat verba:

„Nunc ab ero ad erum meum maiorem venio foedus commemoratum",

quae v. 1282 subsequuntur. Sed ea ratio altera causa iam prolata supervacanea est. Optime autem cohaeret v. 1283 cum v. 1245, quo Simo pronuntiat haec:

„Nunc ibo intro, argentum promam, Pseudolo insidias dabo."

Nam senem ita locutum paulo post in scaenam rediturum esse expectamus. Sed ille per totam Pseudoli monodiam intus manet, dum per servum evocatur (v. 1284). Sin autem v. 1283 paulo post v. 1245 esset, non haberemus, quod senem miraremur. Apparet igitur vss. 1246—82 actionis perpetuitatem interrumpere. Quae cum ita sint his Leonis verbis assentior: *„Ich sehe hierin den Beweis, daß im Original die Monodie nicht vorhanden war, daß sie von Plautus eingelegt ist, der die Trunkenheit des Pseudolus ausgebeutet hat, um seinen letzten Akt musikalisch zu beleben."* Puto autem in exemplo Graeco v. 1283 v. 1245 ipsum secutum non esse, sed nonnullis vss. interpositis servum narravisse, quid extra scaenam actum sit. — In R u d e n t e Plesidippus et Trachalio in scaenam redeunt. Servus autem in via cum ero communicavit Daemonem Palaestram filiam esse cognovisse.

[1]) Abhdlg. d. Göttg. Ges. d. W., phil.-hist. Kl., N. F. I, 7, 41 adn. 1.

Exspectamus igitur adulescentem, ut est laetitia affectus, quam celerrime intraturum esse. Sed nihilominus ante aedes subsistens servum sibi res iam auditas iterum narrare iubet. Nam poeta unitate loci rem ita instituere cogitur. Labracem autem lenonem his verbis usum:

v. 1282 „Abiudicata a me modost Palaestra" e. q. s.
v. 1286 „Nunc alteram illam, quae meast visam huc in Veneris fanum,
Saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum,"

exspectamus statim introiturum esse. Sed ille in scaena remanet et cum Gripo paulo post adveniente colloquitur. — Iam accedamus ad Stichum. Cuius fabulae sc. II, 1 ineunte Pinacium puer, qui Epignomum reversum in portu vidit celeriter accurrit, ut laetum nuntium erae afferat. Exspectamus igitur eum ilico propositum exsecuturum esse. Sed ille per multos vss. secum loquitur, dum in v. 308 fores pultat[1]. Apparet autem poetam illud soliloquium supra modum extendisse, ut spectatorum risum moveret. Act. III initio ille Epignomus cum Sticho scaenam adit. Adulescentem autem, cum per triennium a patria afuerit, consentaneum esse putaveris quam celerrime domum intraturum esse, ut uxorem salutet. At in scaena subsistit et spectatores de rebus necessariis docet. Quo facto servo imperat haec (v. 417):

„Age abduc hasce intro quas mecum adduxi, Stiche."

Sed priusquam hic eri mandata exsequitur, ab Epignomo petit (v. 419 sqq.), ut hodie convivium habere sibi liceat. Quod convivium fabulae extrema parte habitum non eiusdem exempli Graeci est atque reliqua actio, ut supra demonstravimus. Quintus quidem actus nulla re nisi vss. 419—35 cum hac fabula coniungitur. Facile autem intellegitur hoc eri et servi colloquium olim hoc loco non fuisse. Nam finem huius sermonis Epignomus iisdem verbis facit quibus antea soliloquii, cf. v. 435:

„Age abduce hasce intro."

Quibus verbis usus quamquam nondum habet, cur in platea remaneat, tamen etiam post Stichi soliloquium ante

---

[1] cf. Polczyk, p. 57.

aedes subsistit. Nam post eius discessum Gelasimus in scaenam venit, quocum adulescens colloquitur. In exemplo Graeco igitur res hoc modo se habuit. Advenit in scaenam cum servo Epignomus, qui servum secum locutus domum misit. Deinde ipse quoque intraturus erat, cum scaenam adiit parasitus, per quem in platea retinetur[1]. Plautus igitur vss. 419—53 insertis veritatis speciem neglexit, cum erum inter servi verba (v. 436—53) causa non allata in scaena remanentem fecit. Tandem Epignomus sermone ridiculo cum parasito habito domum intrat (v. 496) atque etiam parasitus decedit. Quo facto Pamphilippus, qui cum fratre per tres annos a patria afuit, cum Antiphone sene in scaenam venit; neque tamen domum intrat, sed cum socero ante aedes colloquitur. Cui sermoni paulo post Epignomus, qui causa non allata domo processit, interest. Deinde autem fratres parasitum in scaenam reversum deludunt (v. 579 sqq.) atque v. 632 demum domum introeunt[1]. Leo quidem putat vss. 401—640 non eiusdem exemplaris Graeci esse atque primam comoediae partem. Neque enim eas scaenas ad fabulae expositionem, quae Menandreae Ἀδελφῶν sit, pertinere. Sed quamquam negandum est eas scaenas artius cum fabulae primá parte coniunctas esse, tamen mihi Leo argumentis non probavit Plautum v. 401—640 non eadem ex fabula sumpsisse atque comoediae expositionem. Neque enim hi vss., quamquam in fabula Plautina cum expositione non artius cohaerent, ab ea abhorrent. Immo sane credibile est eas quoque scaenas Ἀδελφῶν esse. Nam nescimus, an v. 401—640 olim cum prima parte artius coniuncti fuerint. Sin autem illum contextum in Sticho non invenimus, certe inde factum est, quod Plautus comoediam contaminavit. Nam cum Plautus in Sticho componenda spectatoribus nihil nisi complures scaenas ridiculas in conspectum dare voluerit, ei exemplum Menandreum contrahendum fuisse constat. Quae cum ita sint, satis verisimile est eum nonnullas scaenas, quibus vss. 401—640 artius cum expositione coniuncti erant, omisisse. — In Trinummo quidem Megaronides in scaenam

1) cf. Leo p. 168 sq. et Nachr. d. G. d. W., Gott. 1902, p. 383.
2) cf. Polczyk p. 57 et 61.

venit, ut ad Calliclem se conferat (v. 23). Neque ille domum eius statim intrat, sed in platea secum solus loquitur. Interea autem Callicles causa non allata egreditur. Quo fit, ut spectatores colloquio sequenti intersint. Sane autem incredibile est Charmidem senem ex itinere reversum (v. 820) non statim intrare, ut suos salutet[1]). Hic enim, postquam scaenam adiit, magnum soliloquium habet. Quo finito cum sycophantam a Megaronide conductum advenientem conspiciat dicit haec (v. 840 sqq.):

„Sed quis hic est qui in plateam ingreditur
Cum novo ornatu specieque simul?
Pol quamquam domi cupio, opperiar:
Quam hic rem agat, animum advortam.“

At haec verba speciei veritatis repugnant. Neque enim credibile est patrem familias, qui diu a patria afuerit, hominem alienissimum opperiri malle quam ilico intus ad suos se conferre. Sed senex sycophantam conveniat necesse est. Saltem autem putamus eum rebus tam miris ex sycophanta auditis quam celerrime introiturum esse, ut quid rei sit, cognoscat. At in platea subsistit, ut observet, quid homo quidam celeriter accurens (v. 1008) acturus sit. Ea quoque res a verisimilitudine plane abhorret. Illum autem hominem Stasimum servum esse in v. 1054 demum cognoscit. Tum cum servo colloquitur. Quas omnes scaenas cum spectatoribus in conspectum dari necesse esset, poeta veritatis speciem neglexit. Stasimum quoque servum exspectaveris ilico intus se collaturum esse, praesertim cum vs. 1008 sq. dicat:

„Stasime, fac te propere celerem, recipe te ad dominum domum,
Ne subito metus exoriatur scapulis stultitia tua.“

Tamen per multos vss. in platea solus secum loquitur. — Simili modo in Truculento Stratophanes miles in platea soliloquium habet (v. 482 sqq.), priusquam ad Phronesium se confert, idemque facit Cuamus (v. 551 sqq.)[2]) a Diniarcho

---

[1]) cf. Polczyk, p. 57, Langen p. 229 sq. Brix, Trin. p. 29.
[2]) cf. Polczyk, p. 57.

cum donis ad meretricem missus. Strabax autem narrat, quid sibi acciderit (v. 645 sqq.) priusquam ostium pulsat.

Cap. IV.

Nonnumquam una ex personis in platea colloquentibus domum intrat, ut aliquid ibi curet, quamquam verisimilius est etiam personas in platea remanentes domum intrare.

Cuius rei exemplum in Bacchidibus invenimus. Mnesilochus enim et Pistoclerus et Chrysalus ante aedes meretricum colloquuntur. Quo in sermone servus Pistoclero dicit (v. 714):

„Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem atque ecfer cito
. . . . stilum, ceram et tabellas, linum.“

Adulescens autem domum intrat et res postulatas paulo post apportat. Quo facto in platea epistula scribitur. Nobis quidem incredibile esse videtur Chrysalum et Mnesilochum domum non intrare, sed res ad scribendum necessarias domo in plateam afferri iubere. Poeta autem, cum scaenam mutare non possit, rem ita instituit. Neque alia de causa Nicobulus v. 1053 Chrysalo relicto domum intrat, ut „*binos ducentos Philippos*“ efferat, quos servo det. — Porro in Casina Lysidamus Chalino imperat haec (vss. 295 sq.):[1]

„Intro abi atque actutum uxorem huc evoca ante aedis cito:
Et sitellam huc tecum efferto cum aqua et sortis.“

Servus autem paulo post mandata executus cum Cleostrata in scaenam redit. Quo facto Olympio et Chalinus sortiuntur. Videmus igitur poetam servum uxorem educentem et res ad sortiendum necessarias apportantem facere, ut spectatores actioni sequenti intersint. Similiter paulo ante Cleostrata cum marito de Casina altercata domum intravit (v. 272), ut Chalinum ad Lysidamum foras mitteret, quamquam exspectaveris senem ipsum domum intraturum esse,

[1] cf. Polczyk, p. 74.

ut cum servo colloquatur[1]. — Neque aliter in Epidico Stratippocles Epidicum servum ante ianuam opperitus, qui danistam et Telestidem adducat, domum intrat, ut danistae argentum exsolvat, quamquam magis consentaneum est eum danistam aliasque personas domum sequi. Sed ante aedes restant. Nam, dum adulescens domi versatur, Epidicus Telestidem Periphanis filiam et Stratippoclis sororem esse cognoscit. Quo fit, ut virgo adulescentem domo reversum fratrem appellet. Poeta igitur hoc quoque loco Stratippoclem solum intrantem fecit, ne scaena mutaretur. — Quaerimus etiam, cur in Milite Glorioso Pyrgopolinices servo imperet (vss. 1302 sqq.):

„I, Palaestrio,
Aurum, ornamenta, vestem, pretiosa omnia
Duc adiutores tecum ad navim qui ferant.
Omnia conposita sunt, quae donavi: auferat.“

Nonne autem verisimilius est eum cum Pleusicle domum ire, ut ille mulierem abducat? Sed poeta servum meretricem educentem facit, ne scaena mutetur. — Etiam Dordalus leno in Persa domum intrat (v. 672), ut Sagaristioni argentum efferat, quo parasiti filiam emat, Toxilo et virgine et Sagaristione relictis. Saltem virginem putaveris eum secum introducturum esse. Sed poeta lenonem solum introeuntem facit, ut scaenae sequentes coram spectatoribus agantur. — In Rudente similem scaenam invenimus. Gripus enim cum Labrace collocutus domum intrat (v. 1352), ut Daemonem roget, ut lenoni vidulum reddat. Servus autem senem vidulum afferentem domo educit. Nonne est magis verisimile eum Labracem introducere? Quod poeta prohibet, ut scaena sequens spectatoribus in conspectum dari possit.

[1] Polczyk, p. 74.

Cap. V.

Similiter saepius personae domo evocantur[1], quamquam commodius est evocantes ipsos introire.

Ut in Aulularia Euclio cum Megadoro, qui Euclionis filiam sibi uxorem poscit, de nuptiis faciendis collocutus Staphylam domo evocat his verbis (vss. 268 sqq.):

„Ubi tu's, quae deblateravisti iam vicinis omnibus
Meae me filiae daturum dotem? heus, Staphyla, te voco.
Ecquid audis? vascula intus pure propera atque elue.
Filiam despondi ego: hodie huic nuptum Megadoro dabo.“

Nonne verisimilius est senem domum introire, ut Staphylae intus haec mandet? Nam ei timendum est, ne quis verba eius de dote danda audiat. Praeterea quis est, qui personas, quae domi versantur in plateam evocet, ut quid fieri velit iubeat? Quaerimus igitur, cur poeta Staphylam evocari fingat. Quod facile intellegitur. Nam post senis discessum anus spectatoribus narrat filiam senis gravidam et brevi tempore parituram esse. Queritur enim, quod *„nunc probrum atque paritudo prope adest, ut fiat palam“* (v. 276). — Similiter in Captivis Hegio, postquam sibi fraudem fecisse Tyndarum cognovit, servos domo evocat (v. 657 sq.), qui illum vinciant. Sed cur Tyndarum domum non introducit, ut intus eum vinciri iubeat? Voluit poeta spectatores actioni interesse. Qua de causa Hegio etiam Philocratem in sc. V, 2 evocat, quod in quaestione, quae in Stalagmum fit, adsit necesse est. Verisimilius quidem est Hegionem servo domum introducto quaestionem intus facere. Sed poeta, cum scaenam mutare non possit, Philocratem evocari fingit. Quae res eo magis miranda est, quod Hegio paulo ante filio et Philocrati dixit (vs. 950 sqq.):

„Vos ite intro: interibi ego ex hac statua verberea volo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.
Vos lavate interibi.“

— In Casina quidem Lysidamus Olympionem evocari iubet, quocum de Casina colloquatur, et paulo post Cleo-

[1] cf. Polczyk, p. 73 sqq.

stratam, quamquam magis consentaneum est eum domum intrare, ut has personas conveniat[1]. — Ac ne lena quidem in Curculione habet, quod Planesium in plateam evocet neque Phaedromum intromittat. Nam *„leno aegrotus cubat in Aesculapi fano“* (vs. 60 sq.). Sed poeta spectatores respicit, qui colloquio adulescentis et amicae intersint. Etiam Palinurus Phaedromum erum parasito accurrente conspecto tantum ideo evocat[2], ut ille cum Curculione coram spectatoribus colloquatur. — Porro in Epidico miles advenit, ut a Periphane amicam suam emat. Sed quamquam exspectas militem secum domum ducturum esse senem, poeta fidicinam, quae militis amica esse videtur, evocari fingit (v. 472 sq.). Neque aliter postea senex Philippam, quae filiam ab hostibus abreptam quaerit, non domum ducit, sed Acropolistidem fidicinam, quam filiam suam ex Philippa natam esse putat, evocari iubet (v. 567 sq.)[2]. Qua re poeta impedit, ne actio spectatorum oculis subtrahatur. — Menaechmorum quoque fabula nobis exempla praebet. Nam meretrix v. 218 imperat:

„Evocate intus Cylindrum mihi coquom actutum foras.“

Quem egressum obsonandi causa ad forum mittit. Sed magis consentaneum est meretricem ipsam domum ingressam coquo quid faciat mandare. Simili modo in v. 674 Menaechmus I Erotium domo evocat, ut ab ea pallam uxori surreptam repetat. Quo fit, ut spectatores Menaechmi et Erotii colloquio intersint. — In Milite Glorioso Palaestrio Sceledrum domo evocat. Qui cum intus ebrius dormiat, Lurcio puer egreditur. At Palaestrionem post Periplecomeni et Pleusiclis discessum, quibuscum de fraude militi facienda deliberavit, domum introiturum esse exspectaveris, ut Sceledrum conveniat. Sed poetae prohibendum est, ne servus domum se conferat, quod in sequentibus scaenis necessarius est. Plautus autem, cum Palaestrionem Sceledrum evocantem facit, etiam hanc discrepantiam admittit. Neque enim Sceledrus, cum post v. 584 aliquo aufugerit, ut complures dies se occultaret, in sc. III, 2 domi esse potest. Quae discrepantia mihi explanari non posse videtur nisi conta-

[1] cf. cap. IV. Polczyk, p. 74. [2] cf. Polczyk p. 74.

minatione[1]. Scaenam enim III, 2 Ἀλαζόνος esse inde colligendum est, quod in ea paries perfossa non esse videtur. Praeterea supra vidimus etiam maiorem partem sc. III, 1 ad hoc exemplum Graecum pertinere[2]. Quae cum ita sint, puto Leonem[3] recte iudicavisse in Ἀλαζόνι cellarium Philocomasii custodem fuisse, qui aliqua de causa vino se complevisset; quo facto Palaestrionem eius subpromum tanto timore affecisse, ut fugeret. Plautus quidem nescio an hanc scaenam ex Ἀλαζόνι fabula sumpserit, ut risum spectatorum moveret; Sceledrum autem ipsum cellarium esse finxit. Qua in re poetam praeteriit se Sceledrum post v. 584 aufugientem fecisse. Itaque retractator quidam vs. 585 inseruit:

„Verum tamen, de me quidquid est, ibo hinc domum"

ut scaenam II, 6 vss. 816 sqq. accommodaret. — Mirum quoque est, quod in Trinummo Callicles Lesbonicum evocat. Immo exspectamus senem cum Charmide et Lysitele in sc. V, 2 domum introiturum esse. Certe quidem magis consentaneum est patrem filio domi veniam dare. At ne scaena mutetur, Lesbonicus evocatur.

Cap. VI.

Non minus poeta speciem veritatis neglegit, cum personas, quae de scaena removeantur necesse est, decedentes facit nulla vel inani causa allata.

Quod demonstratur Captivis. Qua in fabula Hegio domo procedens dicit (v. 126 sq.):

„Ego ibo ad fratrem ad alios captivos meos:
Visam ne nocte hac quippiam turbaverint."

Sed in platea parasitum convenit, quocum colloquitur. Quo facto putamus eum statim ad fratrem iturum esse. At domum redit his verbis usus (vs. 192 sqq.):

„Ibo intro atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mi apud trapezitam sit.
Ad fratrem quo ire dixeram mox iero."

[1] cf. Leo, p. 182 sq. [2] cf. cap. I huius partis. [3] p. 148 sq.

Quaerimus autem, cur non statim ad fratrem se conferat, a quo reversus ratiunculam subducere potest. Quae res satis perspicua est. Nam paulo post domo egrediuntur Philocrates et Tyndarus captivi, quorum colloquium senex ne audiat poetae impediendum est. Itaque illum inani causa allata removet. Neque eum ad fratrem euntem facit poeta hac de causa. Colloquio enim finito Hegionem ex captivis exquirere vult, num per eos filium suum redimere possit. Et eis collocutis rursus domum relinquit haec faciens verba (v. 251):

„Iam ego revortar intro, si ex his quae volo, exquisivero.“

Oblitus igitur esse videtur sibi ad fratrem ire in animo fuisse. Sed ex adulescentibus quae voluit percontatus haec dicit (v. 457 sqq.):

„Ad fratrem modo ad captivos alios inviso meos:
Eadem percontabor, ecquis hunc adulescentem noverit.
Sequere tu (scil. Philocr.), *te ut amittam: ei rei primum praevorti volo.“*

Philocrate vero in Elidem misso ad fratrem se confert. Senex autem iam in v. 126 se fratrem visurum esse dicit, ut habeat, cur domo prodeat. Sed cum eum paulo post de scaena removeri opus sit, poeta eum illam inanem causam afferentem facit, ne iam hoc temporis momento ad fratrem eat. Nam captivos seni, priusquam eo se confert, fraudem facere necesse est. — In Menaechmis quoque exemplum huius rei invenimus. Nam Menaechmus I et ab uxore et ab amica exclusus de scaena decedit his verbis usus (v. 700):

„Ibo et consulam hanc rem amicos, quid faciendum censeant.“

At v. 899 reversus amicorum mentionem non facit. Unde effici potest eum illa verba ideo tantum fecisse, ut haberet, quod scaenam relinqueret. Nam post eius discessum advenit Menaechmus II, quem matrona maritum eiusque pater generum esse putant. Itaque poeta Menaechmum I de scaena decedentem facit, cum postea eum, quamquam est *„exclusissimus“*, retineat hac causa allata (v. 965):

„Ad noctem saltem credo intromittar domum.“

Sed eadem ratione iam post v. 700 remanere potuit. Immo vero hoc loco verisimilius est eum remanere quam post v. 965, cum socer eum insanire ratus servos arcessiturus sit, qui eum vinctum ad medicum trahant. Quibus servis adductis senex abit his verbis usus (v. 996):

„Ego ibo ad medicum: praesto ero illi, quom venietis.“

Mirum autem est, quod servis relictis decedit. Neque habet, quod ad medicum se conferat, priusquam servi Menaechmum vinctum eodem adducunt. Immo rectius est eum remanere, dum servi Menaechmum in vincula coniecerint, praesertim cum vs. 995 iis dixerit:

„Quid statis? quid dubitatis? iam sublimen raptum oportuit.“

Sed poetae prohibendum erat, ne senex Messenionem, qui post eius discessum Menaechmo I erum esse ratus auxilio venit, videret. Mirandum quoque est, quod Menaechmus I a lorariis liberatus post servi discessum domum Erotii intrat his verbis usus (v. 1048 sq.):

„Nunc ibo intro ad hanc meretricem, quamquam suscenset mihi,
Sei possum exorare, ut pallam reddat, quam referam domum.“

Nam cum meretrix antea ei dixerit (v. 692):

„Tu post hunc diem pedem intro non feres, ne frustra sis“, vix credibile est eum hoc loco domum Erotii intrare, quamquam ne ianuam quidem pultavit. Nam in actu IV ea clausa est. Quod demonstrant haec Menaechmi verba (v. 673 sq.):

„Heus, ecquis hic est ianitor?
Aperite atque Erotium aliquis evocate ante ostium.“

Sed apparet, cur poeta eum domum meretricis intrantem faciat. Neque enim fratrem et Messenionem paulo post scaenam adeuntes eum convenire vult poeta, priusquam breve colloquium habuerint. Quo finito ille, cum ad fabulam peragendam necessarius sit domo Erotii in scaenam redit. Cum igitur poeta Menaechmum I ad Erotium intrantem facit, efficit, ut paulo post in scaenam redeat. Grave quidem exemplum in Persa invenimus. Nam in sc. IV, 6 in platea sunt Toxilus, Dordalus, parasiti filia, quam leno paulo ante a Sagaristione,

qui Persam se esse simulat, emit. Subito autem leno Toxilo dicit (v. 721 sq.)[1]:

„Attat, oblitus sum intus dudum edicere
Quae volui edicta. Adserva hanc.“

Quibus verbis usus domum intrat. Quaerimus autem, cur virginem relinquat. Cuius rei causam non affert. Exspectamus quoque ei aliquid magnum domi agendum esse. At ille v. 732 domo reversus haec verba facit:

„Transcidi loris omnis adveniens domi:
Ita mihi supellex squalet atque aedes.“

Neque nos de iis, quae edicere oblitus est, certiores facit. Itaque causa abeundi inanis est. Poetae autem per breve tempus aliquo modo removendus erat, ut Toxilus Saturionem parasitum domo evocare posset. Quo facto leno in scaenam redit, quod adsit necesse est. Virginem autem poeta in scaena retinet, cum ad fraudem lenoni faciendam necessaria sit. — Denique in Sticho parasitus, ut iam supra diximus non satis gravem causam post v. 401 abeundi habet.

Cap. VII.

Poeta ne scaena mutetur, multas res ante aedes agi facit, quas domi fieri magis consentaneum est.

Cuius rei tot exempla in fabulis Plautinis inveniuntur, ut minus gravia afferre non possim. Amphitruonis quidem actu I exeunte Iuppiter et Alcumena domo procedunt. Pseudo - Amphitruo autem Alcumenae dicit (vss. 499 sqq.)[2]:

„Bene vale Alcumena, cura rem communem, quod facis
Atque inperce quaeso: menses iam tibi esse actos vides.
Mihi necessest ire hinc: verum quod erit natum tollito.“

Ad quae respondet mulier:

„Quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu tam subito domo
Abeas?“

Nonne magis consentaneum est Alcumenam ea verba domi facere? Atque etiam omne illud Iovis et mulieris

1) cf. Polczyk, p. 43. 2) Polczyk, p. 39.

colloquium idoneum est, quod domi fiat. Certe quidem poeta illam scaenam domum transtulisset, si scaenam mutare posset. Eadem de causa Plautus vss. 882 sqq. Alcumenam in platea querentem facit [1], quod maritus se stupri insimulaverit. — Neque aliter Asinariae initio Demaenetus cum Libano ante aedes colloquitur. Cui erus imperat haec (vs. 103 sq.):

„Perficito argentum hodie ut habeat filius
Amicae quod det."

Sed omnino species veritatis neglegitur, cum Libanus et Leonida Argyrippum, eri filium, in platea ludibrio habent. Velut Leonida Philaenium, Argyrippi amicam, se osculari iubet atque Libanus se complecti. Quod cum adulescens indignetur, servus ei imperat haec (v. 697 sqq.):

„Quam vero indignus videor?
Ne istuc nequiquam dixeris tam indignum dictum in me
Vehes pol hodie me, si quidem hoc argentum ferre speres."

Et Argyrippus servo obsequitur. Quae personae postquam de scaena discesserunt, advenit Diabolus cum parasito, cui imperat haec (v. 746 sqq.) [2]:

„Agedum istum ostende quem conscripsti syngraphum
Inter me et amicam et lenam. Leges pellege:
Nam tu poeta's prosus ad eam rem unicus."

Quibus verbis auditis parasitus syngraphum recitat [3]. Rectius quidem esse putamus adulescentem domi suae de illo syngrapho certiorem fieri. Sed cum scaena mutari non possit, poeta spectatorum causa actionem in plateam transferre debuit. De alia scaena huius fabulae infra disputabimus. — At iam accedamus ad Aulularíam. Qua in fabula reprehendimus, quod Euclio, quamquam paulo ante Staphylam veram causam irae celavit, ea domum reversa secreta sua soliloquio in platea narrat (v. 105 sqq.) [4]. Neque magis consentaneum est Eunomiam et Megadorum domo progressos in platea de re familiari loqui [5]. Porro Euclio aulam in templo Fidei obruit, ne quis eam inveniret. Sed ex fano reversus deam magna voce implorat [2], ut sibi thesaurum

[1] cf. Polczyk, p. 39. [2] cf. Polczyk, p. 65. [3] cf. cap. XIII huius partis.
[4] cf. Polczyk, p. 26. [5] cf. Polczyk, p. 62.

asservet, quamquam putaveris eum iam intus Fidem obsecravisse. At poeta rem in plateam transfert, ut Strobilus senis verba audiat. Eadem de causa senex postea soliloquio narrat se aulam in luco Silvani obruturum esse. — In Bacchidibus miramur, quod Chrysalus in platea Mnesilocho litteras dictat (v. 730 sqq.), quae ad senem mittantur. Quaerimus autem, cur ea epistula non domi meretricum scribatur. Sed poeta rem ita instituit, ut spectatores actioni interessent. Neque alia de causa paulo post Nicobulus in platea servos Chrysalum vincire iubet. Idem servus postea seni alteram epistulam affert, quam is in platea magna voce recitat, cum spectatores de summa epistulae certiores fieri opus sit. — Neque vero in Captivis consentaneum est Hegionem domo egressum lorario imperare, ut duos captivos diligenter custodiat (v. 110 sqq.). Mirum id quoque est, quod illi a lorario domo educti ante aedes de sene defraudando colloquuntur (v. 195 sqq.), et quod percontatio eorum per senem ante aedes fit (v. 251 sqq.), quasi intus fieri non possit. Neque aliter res se habet, quod postea (v. 533 sqq.) Hegio Tyndarum in platea cum Aristophonte a fratre arcessito componit ibique Tyndarus fraude patefacta vincitur. Quae omnes discrepantiae e loci unitate enatae sunt. Eadem de causa Hegio post v. 953 quaestionem in Stalagmum ante aedes habet. — Similia exempla invenimus in Casina. Qua in fabula Chalinus et Olympio Cleostrata Lysidamoque praesentibus in platea de Casina sortiuntur (v. 353 sqq.), ut spectatores actioni intersint. Neque aliter res se habet in actu V. Nam domo Alcesimi in plateam praecipitant Olympio et paulo post Lysidamus. Qui mulieribus in platea stantibus narrant, quomodo cum Chalino, quem Casinam esse putaverint, nuptias fecerint. Chalino ipso domo progresso amatores illuduntur. Denique senex cum uxore in gratiam redit. Quas omnes scaenas ante aedes agi quamquam non verisimile, tamen spectatorum causa necesse est. — Deinde in Cistellaria Selenium, Gymnasium, lena in platea colloquuntur prandio facto. Quaerimus autem, cur eae domi inter prandium de rebus necessariis locutae non sint. Poetae quidem ea scaena in plateam transferenda erat, ut spectatores fabulae ex-

positionem comperirent[1]). — Sed in Curculione poeta Phaedromum et Planesium in platea spectatorum causa osculantes et complexantes facit (v. 158 sqq.), atque eadem de causa adulescens postea cum Curculione et Palinuro ante aedes colloquitur, quamquam adulescentem parasitum, cum sit cursu defatigatus (v. 310 sqq.) domum introducere magis consentaneum est. Therapontigonus autem miles in platea Phaedromo Planesium sororem despondet ibidemque Phaedromus iudicium facit de lenone. — Similem autem scaenam in Epidico reperimus, cuius fabulae in ultima scaena Periphanes in servum, qui ei fraudem fecerit, ante domum quaestionem habet. — Omnem autem veritatis speciem poeta neglegit, cum Mercatore ineunte Charinum domo egressum spectatores de rebus ad fabulam intellegendam necessariis docentem facit. Eadem ratione Demipho in sc. II, 1 in platea somnium eloquitur[2]). Lysimachus autem paulo post domo egressus servo nonnullas res mandat, quamquam non est, cur non domi quid fieri vellet dixerit. Sed cum ad fabulam peragendam magni momenti sint hi vss. (279 sqq.):

„Uxori facito ut nunties negotium
Mihi esse in urbe, ne me exspectet: nam mihi
Tris hodie leiteis iudicandas deicito,“

poeta eam rem in plateam transtulit. — In Militis Gloriosi prooemio poeta Pyrgopolinicem cum parasito in platea colloquentem facit, ut spectatores militis habitum cognoscant. Unitatis loci causa post v. 610[3]) Palaestrio, Periplecomenus, Pleusicles ante aedes de fraude militi facienda consilium habent, quamquam eis timendum est, ne ille a foro rediens aut servi eius se deprehendant. Idem est dicendum de consilio post v. 1136[4]), quod faciunt Palaestrio, Pleusicles, Acroteleutium eiusque ancilla. Summatim quidem negandum est multas scaenas act. IV et V idoneas esse, quae in platea agantur. Velut in platea Milphidippa militem orat, ut Acroteleutium amet (v. 991 sqq.), ibidemque miles eam opperitur (v. 1200 sqq.), illa autem in plateam venit, ut se amore militis ardere simulet (vs. 1216 sqq.), ante aedes

[1]) cf. Leo, p. 212 Trautwein, l. c. p. 42. [2]) cf. cap. IIIB huius partis.
[3]) cf. Leo, p. 180. Polczyk p. 42 sq. [4]) cf. Polczyk, p. 62 sq.

Philocomasium et Palaestrio discedentes militi valedicunt (v. 1311 sqq.), ibidemque ille per senem poenam meritam accipit (v. 1394 sqq.). — Neque soliloquium Philolachis in Mostellaria (I, 2) ad plateam aptum est. Sed omnis species veritatis laeditur vss. 157 sqq. Nam in platea Philematium se ornat. Vero incredibile est mulierem in platea ancillae imperare (v. 245 sq.):

„*Cedo mihi speculum et cum ornamentis arculam actutum, Scapha,*
Ornata ut sim, quom huc adveniat Philolaches voluptas mea."

Quin etiam pigmentum a Scapha postulat (v. 258 sqq.). Quae cum ita sint, Bethius[1] putavit hanc scaenam ianua patefacta domi agi. At rationes probabiles huius opinionis afferre non potest. Nam haec scaena re vera in platea agitur, id quod facile demonstrari potest. Philolaches enim ex latibulo totam actionem spectat, velut amicam speculum osculari (v. 265) animadvertit, atque colloquium meretricis et ancillae audit. Sed latibulo relicto ad amicam aggressus Scaphae mandat haec (v. 294):

„*Abi tu hinc intro atque ornamenta haec aufer.*"

Hanc igitur scaenam in platea agi apparet[2]. Ancilla autem intus reversa amantes remanent atque in platea coram spectatoribus convivium faciunt, cui etiam Callidamates et Delphium paulo post advenientes intersunt. Quod convivium ante aedes fieri Doerpfeld-Reisch et Lundstroem argumentis nihil dubii relinquentibus demonstraverunt. Hic quidem putat eas scaenas, quas poeta unius loci necessitate commotus domi agi fingere non possit, ante aedes quidem agi, sed in vestibulo, quod vocatur. Quae opinio certis argumentis probari non potest, quamquam huius comoediae vs. 817 Tranio vestibuli ante vicini domum mentionem facit his verbis:

„*Viden vestibulum ante aedis hoc et ambulacrum quoiusmodi?*"

---

[1] p. 311. [2] cf. Langen, p. 169. Doerpfeld-Reisch, p. 267 sqq.; Vilh. Lundstroem, Aussen oder innen? Eranos, acta phil. Suecana, vol. I. Upsaliae 1896, p. 95 sqq.; Polczyk, p. 63; Dietze, de Philemone comico, p. 75.

Quo ex versu concludi non potest etiam ante aedes senis, ubi convivium habetur, vestibulum esse. Praeterea in ceteris fabulis Plautinis illius vestibuli ne mentio quidem fit, nedum argumentis probari possit scaenas eiusmodi hoc loco agi. Neque tamen poeta, si ea ratione usus esset, speciem veritatis minus neglexisset. Iam aliarum scaenarum, ex quibus convivia in platea fieri apparet, mentionem faciam. — In Persa quidem Toxilus, ut lenoni fraude facta in platea cum amicis comissetur, imperat servis haec (v. 758 sqq.):

„Ite foras: hic volo ante ostium et ianuam
Meos participes bene accipere.
Statuite huc lectulos“ e. q. s.

Quo facto convivium incipit[1]. — Neque aliter in Stichi actu V Stichus cum Sagarino et amica in platea potat. Quin etiam saltatur[2]. Quo facto domum redeunt, postquam Stichus haec locutus est (v. 774sq.): *„Intro hinc abeamus“ e.q.s.* Qua in scaena Plautus speciem rei factae adeo neglegit, ut servos tibicini vinum bibere dantes faciat. Ceterum constat hunc actum Menandreae *Ἀδελφῶν* non esse. Neque enim cum cetera Stichi actione artius cohaeret[3]. — Quibus exemplis allatis de illa Asinariae scaena, quam antea praeterii hoc dicam: etiam Demaenetus, Argyrippus, Philaenium in platea potant. Neque enim poetae cum scaenas antea enumeratas in plateam transtulerit, est, cur hanc scaenam ianua patefacta domi agi finxerit. Praeterea ex versibus ipsis non apparet convivium porta patefacta domi fieri. Cui sententiae argumento esse puto haec meretricis verba in vs. 940 facta: *„Sequere hac me mi anime“*, i. e. sequere me domum. Nam si haec scaena domi ageretur, verba *„sequere me“* inutilia essent[4]. — Item spectatorum causa in Persa facere non potuit poeta, quin Dordalum in platea parasiti filiam emere fingeret, quamquam eam rem lenonis domi fieri verisimilius est (v. 549 sqq.) – In Poenulo quidem miramur, quod Agorastocles et Milphio cum testibus et Collabisco de lenone defraudando in platea collo-

---

[1] cf. Langen p. 180. Doerpf.-Reisch, p. 268.
[2] cf. Langen p. 218. Polczyk p. 63. [3] cf. Leo, p. 168.
[4] cf. Doerpf.-Reisch, p. 269.

quuntur. Nonne eis timendum est, ne leno domo procedat atque colloquium illud audiat? Sed poeta rem aliter instituere potuisset, nisi spectatores de rebus necessariis docendi essent. Species veritatis in hac scaena plane neglegitur, cum unus ex testibus Agorastocli dicit haec (v. 549 sqq.):

„Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciant.
Horunc hic nunc causa haec agitur spectatorum fabula:
Hos te satius est docere et quando agas, quid agas sciant.“

Haud alia de causa in act. V in platea Agorastocles Hannonem patruum recognoscit et hic filias ibidemque Adelphasium adulescenti despondetur. — Etiam in Pseudolo poeta eadem ratione utitur. Qua fabula ineunte domo procedunt Calidorus et Pseudolus servus. Adulescens autem in platea servo amicae epistulam legendam dat, ut spectatores de rebus ad fabulam intellegendam necessariis certiores fiant[1]. Sed maxime mirum est, quod Ballio leno v. 133 cum servis meretricibusque domo procedit, ut iis in platea longo sermone, quid fieri velit, dicat[2]. Consentaneum quidem esse putaveris eum intus mandata dare, sed poeta hanc scaenam in plateam transtulit, ut spectatores, quanta esset leno improbitate, doceret. Eo quoque offendimur, quod Pseudolus cum Calidoro eiusque amico in via ante aedes Ballionis communicat, quomodo ei Phoenicium erepturus sit (v. 702 sqq.). — Stichi autem initio Panegyris et Pamphila sorores ante aedes sedentes de viris absentibus colloquuntur. Cui colloquio a v. 90 Antipho pater interest. Hanc quoque scaenam post portam patefactam agi Bethius opinatur[3]. Sed id colloquium re vera in platea fit. Neque enim poetae, cum etiam convivia ante aedes fieri fingat, erat, quod illud colloquium in plateam transferre dubitaret. Neque enim si domi essent, Panegyris in v. 147 dicere posset haec:

„Nunc, soror, abeamus intro.“[4]

— Etiam colloquium, quod in Trinummo Callicles et Megaronides ante aedes habent, minime idoneum est,

---

1) cf. Polczyk, p. 24 et 51. Langen p. 198.
2) cf. Polczyk, p. 72. Langen p. 199.
3) p. 311. 4) Doerpf.-Reisch, p. 268. Polczyk, p. 23.

quod in platea fiat. Nam res secretae aguntur. Qua re Callicles amicum monet (v. 146 sq.):

„*Circumspicedum te, nequis adsit arbiter*
Nobis, et quaeso identidem circumspice,"

et in vs. 151 iterum dicit illud: „*circumspice*". Verisimilius quidem est eos domi colloqui, sed iterum poeta necessitate eiusdem loci servandi coactus speciem veritatis neglexit[1]. Idem est dicendum de soliloquio Lysitelis (v. 223 sqq.)[2], qui ante aedes secum reputat, utrum amori se dedat necne. In sc. II, 4 Lesbonicus et Stasimus domo egressi rationem subducunt XL minarum, quas adulescens a Callicle pro aedibus accepit; quo facto Philo senex sororem adulescentis filio uxorem poscit. Quae scaenae in platea aguntur, ne scaena mutetur. Neque alia de causa post v. 729 senes in platea de dote danda agunt[3]. — Phronesium autem in Truculento Diniarchum certiorem facit de simulata partitudine (v. 386 sqq.) atque etiam ancillas se, quasi puerpera sit, ante aedes in cubili collocare iubet (v. 472), ut militi fraudem faciat. Quod cum vix credi possit, Bethius[4] etiam hanc scaenam porta patefacta domi agi existimat. Sed inde, quod Phronesium dicit in v. 480: „*fer huc verbenam intus et bellaria*" et in v. 583: „*iube auferri intro*" et in v. 631: „*me intro actutum ducite*" haud dubie intellegitur meretricem re vera ante aedes esse[5]. Quod, quamquam nobis maxime mirum esse videtur, tamen poeta unius loci causa aliter instituere non potuit. Idem autem dicendum est de quaestione, quam Callicles in meretricis ancillam et tonstricem in platea habet (v. 775 sqq.).[6]

Cap. VIII.

In scaena eae res aguntur, quas iam alio loco actas esse putaveris.[7]

Ea quoque ratione poeta unius loci causa utitur neque raro fit, ut spectatores per actorem certiores faciat se scaenam iam alio loco actam eis in conspectum dare.

---

[1] cf. Langen p. 219 sq. [2] cf. Langen p. 220. Dietze p. 75, Polczyk p. 51 sq. [3] cf. Polczyk p. 52. [4] cf. p. 311. [5] Doerpf.-Reisch, p. 268. [6] cf. Langen p. 232. [7] Eadem ratione etiam his temporibus poetae scaenici utuntur, cum, quamquam loci unitatem non servant, tamen scaena nimis saepe mutare non possint.

Cuius rei exempla afferam haec. Amphitruonis quidem initio scaenam adit Sosia, ut Alcumenae nuntium mariti reditus afferat. Miramur autem, quod servus ante eri aedes demum, quomodo mandata eri exsequatur, per multos versus meditatur. Neque enim servo a portu Thebas se conferenti occasio deliberandi defuit. Sed apparet, cur poeta eum in scaena ipsa meditantem fecerit. Nam servi narratione spectatores de rebus ad fabulam intellegendam necessariis certiores fiunt. Idem est dicendum de sc. II, 1. Sosia enim erum a portu adducit. Amphitruo autem servum coram spectatoribus increpat, quod erum ficta narrans ludificetur, atque loquitur, quasi paulo ante demum servum convenerit. Consentaneum esse putaveris eum iam in portu vel in via servum increpuisse, postquam is eum de rebus mirificis docuit. Sed poeta unius loci servandi causa rei factae speciem neglexit. — Similiter res in Asinaria se habet. Diabolus enim, cum Philaenium meretricem in annum mercede conducere in animo habeat, parasito imperavit, ut pactum conscriberet. Quo facto putaveris parasitum adulescentem domi de scripto docuisse, priusquam ad lenam se conferunt. Sed poeta Diabolum veritatis specie plane neglecta, postquam cum parasito ad aedes lenonias pervenit, dicentem facit haec (v. 746 sqq.)[1]:

„Agedum istum ostende quem conscripsti syngraphum
Inter me et amicam et lenam. Leges pellege:
Nam tu poeta's prosus ad eam rem unicus.“

Et parasitus syngraphum in platea recitat. Quod non nisi spectatorum causa fieri satis constat. — Eadem de causa Strobilus in Aulularia coquis non prius, quam cum iis scaenam adiit, quid faciant dicit (v. 280 sqq.), quamquam id iam dum conducerentur in foro aut in via factum esse censeas. Magis autem miramur hanc scaenam. Euclio enim, cum ei aula in luco Silvani obruta sit surrepta, accurrit haec clamans (v. 713 sqq.)[2]:

„Perii, interii, occidi. quo curram? quo non curram?
tene, tene. quem? quis?“ e. q. s.

[1] cf. Polczyk, p. 65. [2] cf. Polczyk, p. 66. Langen, p. 109 sq.

Senex igitur in scaena verba facit, quasi a luco ei usque ad domum iter longum faciendum non fuerit. Qui lucus cum ante urbem situs sit, consentaneum non est eum nunc demum hoc modo lamentari. Sed poeta coram spectatoribus lamentationem fieri voluit. — Etiam in Bacchidibus exemplum huius rei invenimus. Lydus enim, cum flagitia Pistocleri domi Bacchidum viderit, ira inflammatus patrem eius arcessit, quocum v. 405 [1]) in scaenam venit. Putamus autem Philoxenum iam de filii facinoribus certiorem factum esse. Itaque nobis mirum esse videtur, quod senex in v. 406 servum interrogat: „*Quo sequar? Quo ducis nunc me?*“ Unde apparet Lydum senem nondum docuisse. Nunc demum Philoxeno dicit, cur eum arcessiverit. Sed iterum poeta unius loci servandi causa rem ita instituere debuit. — Neque alia ratione in Captivis Philocrates et Tyndarus lorarium orant, ut sibi sine arbitris colloqui liceat. Ille autem, quamquam antea dixit haec (v. 207):

„*At fugam fingitis: sentio quam rem agitis*“,

tamen eis permittit, ut a ceteris servis colloquendi causa abscedant. Quo facto de consiliis iam antea factis deliberant, ut demonstratur his Philocratis verbis (v. 224 sqq.)[2]):

„*Nam si erus tu mihi's atque ego me tuom esse servom assimulo,*
Tamen viso opust, cautost opus, ut hoc sobrie sineque arbitris
Accurate agatur, docte et diligenter.
Tanta incepta res est: haud somniculose hoc
Agendumst.“

Poeta igitur eos denuo de consiliis suis colloquentes facit, ut spectatores quid rei sit, comperiant. — Sed initio Cistellariae mirum est, quod Selenium, lena, Gymnasium prandio confecto domo egrediuntur, ut colloquantur. Qua in re eo magis offendimus, quod Selenium tum demum lenam orat (v. 104 sqq.), ut Gymnasium per tres dies domum suam servare sinat, cum mulieres iam valedicturae sunt. Huc accedit, quod eas hoc ipso consilio invitavit (cf. v. 82).

1) cf. Polczyk, p. 66. Langen, p. 113 sq.
2) Langen, p. 116 sq. Polczyk, p. 72.

Poeta igitur actionem, quam domi iam factam esse consentaneum est, in plateam transtulit, ut spectatores de rebus ad fabulam intellegendam necessariis doceret[1]. — Neque magis verisimile est initium Curculionis. Phaedromus enim facem manu tenens cum Palinuro servo domo egreditur, ut Planesium amicam, quae domi lenonis habitat, visat. Servus autem, cum nesciat, cur erus exierit, haec facit verba (v. 1 sqq.):

„Quo ted hoc noctis, dicam proficisci foras
Cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?“

Quo fit, ut erus servum de causa exeundi doceat. Certe quidem servum iamdudum quid rei sit scire necesse est[2]. Nam in v. 233 de lenone haec dicit: *„iamiam novi: lenost Cappadox“* atque ille servum novit (v. 230). Praeterea autem consentaneum esse putaveris Palinurum iam intus ex ero quaesivisse, quo iturus esset. Sed cum in platea demum Phaedromum rogat, poeta efficit, ut spectatores colloquio eri et servi res necessarias cognoscant[3]. — In Menaechmis mirum est, quod Messenio Menaechmum II hoc interrogat (v. 230):

„Sed quaeso, quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An quasi mare omneis circumimus insulas?“

ad quae erus respondet haec:

„Fratrem quaesitum geminum germanum meum.“

Nam servus iam dudum scit, cur erus maria et terras circumeat. Quod demonstratur his eius verbis:

„Nam quid modi futurumst illum quaerere?
Hic annus sextust, postquam ei rei operam damus“
e. q. s.

Qua re consentaneum non est eum non prius, quam Epidamnum venerunt, erum itineris causam interrogare. Sed ea quaestio quamquam plane est supervacanea, tamen ad fabulam intellegendam necessaria est[4]. — Similiter in Mercatore Pasicompsa ex Lysimacho in scaena demum quaerit, cur senex se emerit, et ille a meretrice, quod nomen ei sit, quasi eis iter a portu usque ad senis aedes facien-

[1] cf. Leo, p. 212; Langen p. 129; Polczyk, p. 26 sq.
[2] cf. Leo, p. 196. [3] cf. Polczyk p. 22. [4] cf. Langen, p. 149.

tibus interrogandi occasio non fuerit[1]). — Neque aliter in Milite Glorioso consilium propter loci unitatem in platea fit, quamquam intus iam consilium habitum est (cf. v. 594 sqq., 612 sq.)[2]. Quam discrepantiam ex contaminatione ortam esse antea demonstravi[3]). Postea autem Palaestrio cum Acroteleutio et Milphidippa de dolo, quem iam noverunt (cf. v. 874 sqq.), spectatorum causa iterum in scaena colloquitur[4]. Id quoque offendimus, quod Palaestrio, qui v. 936 in forum abiit, ut militi Acroteleutium, senis uxorem simulatam, amore eius exarsisse nuntiaret, cum eo in scaenam reversus (v. 947) ne unum quidem verbum de ea re fecit. Nam vss. 950 sqq. demum militem de amore Acroteleutii certiorem facit. Quam rem poeta necessitate unius loci retinendi coactus ita instituit, quamquam consentaneum est servum iam, dum cum milite a foro redit, propositum exsequi[5]). — In Mostellaria miramur, quod Theopropides Neptuno non prius, quam ad domum suam pervenit (v. 431 sqq.), gratias pro reditu agit. — Neque in Persa verisimile est filiam parasiti iam in scaenam adductam patrem orat (v. 329 sqq.), ne famam bonam eo, quod se specie lenoni vendat, deleat. Sed cum virgo, postquam domi se ornavit, patrem iam ad Toxili aedes secuta sit, haesitatio eius vix credibilis est. — In Poenulo quidem Plautus Agorastoclem et Milphionem cum testibus et Collabisco de fraude lenoni facienda, de qua iam certiores facti sunt, colloquentes facit (v. 550 sqq.), ut spectatores doceat. — Pseudoli autem initio servus ex ero quaerit, cur iam multos dies tanto maerore affectus sit. Sed vix credibile est servum ab ero de luctus causa celatum esse, cum Calidorus eo familiariter uti consueverit, quod his servi verbis demonstratur (v. 15 sq.):

„Licet me id scire quid sit? Nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.“

At poeta ne minimam quidem causam affert, cur adulescens cum servo nondum de maerore suo locutus sit. Praeterea autem in eo offendimus, quod servus nescit erum amicam a

---

1) cf. Polczyk, p. 66. 2) cf. C. E. Geppert, Plautin. Stud. I, Berol 1870, p. 70 sq. 3) cf. cap. I. 4) cf. Polczyk, p. 72. Geppert, p. 73. 5) cf. Polczyk, p. 66 sq.

lenone redimere in animo habere, cum postea adulescentis pater de filio haec faciat verba (v. 418 sqq.):

„Ita nunc per urbem solus sermoni omnibust,
Eum velle amicam liberare et quaerere
Argentum ad eam rem: hoc alii mihi renuntiant
Atque id iam pridem sensi et subolebat mihi,
Sed dissimulabam.“

At cum poeta servum earum rerum ignarum esse fingat, nobis saltem quaerendum est, cur Pseudolus non iam domi ex ero maeroris causam quaesiverit. Quod facile intellegitur inde, quod scaenam mutare poeta non potest[1]. — Neque alia de causa in Rudente Daemones ante aedes demum Trachalioni ea, quae ero renuntiet, mandat, quamquam non est, cur non iam intus id fecerit (v. 1211 sq.). Deinde servus discedit, ut erum adducat, quocum v. 1265 in scaenam redit. Quamquam Trachalio cum eo iam in via communicavit senem se Palaestrae patrem esse cognovisse, tamen adulescens servo imperat, ut narrata repetat (v. 1265). Et servus ei obsequitur. Quae res hoc temporis momento, cum adulescens iam ad aedes Daemonis pervenit, speciei rei factae plane repugnat. Sed poetae spectatorum causa haec scaena componenda erat[2]. — Stasimus autem in Trinummo domi Lesbonici sororem certiorem fecit Philtonem eam filio uxorem poposcisse. Quod Callicles intus audivit. Sed, postquam cum servo domum reliquit, ex eo quaerit, quomodo res se habeat. Nonne autem verisimile est eum iam intus cum Stasimo de ea re locutum esse? Quod in platea demum fieri vix credibile est. Huc autem accedit, quod senex non habet, cur scaenam adeat. Certe igitur poeta unius loci causa rem ita instituit[3]. Idem est dicendum de ea scaena, in qua Megaronides et Callicles de dote danda colloquuntur[3] (v. 792 sqq.). Vss. autem 820 sqq. Charmides Neptuno gratias agit, quod se salvum in patriam redire siverit[4]. Quod ante domum demum fieri consentaneum non est. — Porro in Truculento Diniarchus Phronesio dona mittit, quae ea libenter accipit cum magno gaudio adules-

[1] cf. Polczyk, p. 24 et 51. Langen, p. 198. [2] cf. Polczyk, p. 73.
[3] cf. Polczyk, p. 52. [4] cf. Most. vss. 431 sqq.

centis. Quod ante amicae domum subsistens soliloquio narrat (v. 698)[1]. Sed mirandum est, quod non prius, quam ante aedes meretricis versatur, illud gaudium exprimit. Quod iam nuntio huius rei accepto domi factum esse magis consentaneum est. Sed poeta spectatorum causa nunc demum adulescentem gaudium exprimentem facit. Postea autem eadem in fabula Callicles in ancillam et meretricis tonstricem in platea quaestionem habet, quamquam ipse dicit haec (v. 778 sq.)[2]:

„*Commemini: quo quicque pacto sitis confessae scio.*
Hic nunc volo scire, eodem pacto sine malo fateamini.“

Estne igitur, quod quaestio hoc loco denuo habeatur? Quod cum negandum sit, concedemus poetam unitate loci coactum hanc iterationem instituisse. Aliam quoque causam huius rei afferam. Inde enim, quod quaestio in platea fit, Diniarchus, qui in scaena est, cognoscit stuprum Calliclis filiae a se illatum patefactum esse et se illud flagitium fecisse confitetur.

Cap. IX.

Et personas in platea loquentes domi et personas domi loquentes in platea audiri poeta fingit.

Hac quoque re speciem veritatis nonnumquam neglegi his exemplis demonstratur. In Aulularia quidem Euclio in scaenam a luco Silvani reversus lamentatur, quod sibi aurum surreptum sit. Quem querentem Lyconides domi audivit, qua de causa exit haec faciens verba (v. 727 sq.)[3]:

„*Quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur maerens?*
Atque hicquidem Eucliost, ut opinor.“

Sed vix credibile est quemquam in platea tanta voce aurum amissum queri, ut domi audiatur. Quam rem poeta unius loci causa ita instituit. Nam ad fabulam peragendam necesse est adulescentem in plateam exire. Praeterea autem

[1] cf. Polczyk, p. 67. [2] cf. Polczyk, p. 52 et 73. Langen, p. 232.
[3] cf. Polczyk, p. 75 sq.

quaerimus, cur vicini senem clamantem non audiant. Quod poeta non fecit, cum Lyconide solo ei opus sit. — Sed magis hanc Cistellariae scaenam miramur. Lampadio enim, postquam in scaenam venit, soliloquio id, quod fecit, narrat (v. 536 sqq.). Cuius verbis intus auditis Phanostrata domo procedit [1]. Ea res veritatis speciei repugnat. Neque enim est, cur hoc soliloquium maiore voce habeatur quam cetera soliloquia Plautina, quae in interiore domo non audiuntur. — Simile exemplum in Trinummo invenimus. Communicavit enim Stasimus cum ero Lesbonicum a Callicle domo privatum esse. Quod senex nonnullis versibus queritur. Mihi autem incredibile esse videtur Charmidem tantum clamorem tollere, ut Callicles domo exeat haec verba faciens (v. 1093):

„Quid hoc hic clamoris audio ante aedis meas?“

Sed Callicles, cum in scaena necessarius sit, poetae aliquo modo in scaenam producendus est. Itaque poeta eum specie veritatis neglecta Charmidis verba audientem facit. — Non magis consentaneum est Euclionem in Aularia haec verba Congrionis coqui, quae domi facit, in platea audire (v. 390 sq.):

„Aulam maiorem si potes vicinia
Pete: haec parvast, capere non quit.“

Nam quamquam ianua aperta strepitum intus factum ante aedes audiri negandum non est, tamen cogitari non potest in platea singula verba intus facta accipi, nisi prope portam apertam fiunt. Neque vero coquus habet, quod eo se conferat, ut quid fieri velit imperet. Cuius verba quamquam in culina dici consentaneum est, tamen poeta in platea exaudiri fingit spectatorum causa, qui senis angore delectentur. Id quoque miramur, quod in platea Euclionis filiam parturientem haec audis clamantem (v. 691 sq.) [2]:

„Perii, mea nutrix: obsecro te, uterum dolet.
Iuno Lucina, tuam fidem.“

Quod poeta veritatis specie neglecta ita instituit, ut Lyconides et mater eius de partu certiores fiant.

[1] f. Polczyk, p. 76.

[2] Eadem ratione ceteri quoque poetae scaenici Romanorum utuntur; cf. Ter. Andr. 473.

Cap. X.

Saepius autem accidit, ut personae, quae in scaena adsunt, alias personas, quae ibidem magna voce loquuntur, neque audiant neque videant[1].

Ea quoque res ex loci unitate enascitur. Afferam haec exempla. Amphitruonis quidem act. II initio in scaena colloquuntur Amphitruo et Sosia. Ille autem servo imperat haec (v. 628):

„*Sequere hac igitur me: nam mihi istuc primum exquisitost opus.*“

Exspectamus igitur eos statim domum intraturos esse, sed in platea remanent. Domo enim procedit Alcumena, quae ante aedes soliloquio quod maritus iam ad portum redierit questa gaudium Amphitruonis victoriae verbis prodit. Vix autem credibile est erum servumque eam neque loquentem audire neque conspicere. Nam a v. 653 denuo colloquuntur et in v. 667 sqq. demum servus eram videt. Sed quaerimus cur Amphitruo et Sosia v. 629 non intraverint. Poetae quidem, cum scaenam mutare non possit, prohibendum est, ne Alcumenam intus conveniant. Qua re eam exire fingit. Quo facto quamquam consentaneum esse putaveris maritum statim uxorem videre, tamen poeta rem aliter instituit, ut Alcumena secum loqui posset. Itaque necesse est neque servum neque erum eam loquentem audire. Species veritatis igitur hac scaena plane neglegitur. Antea iam dixi[2] Amphitruonem in exemplo Graeco A post uxoris soliloquium in scaenam venisse. Quae cum ita sint, hanc discrepantiam Plautus ipse admisit, cum hanc comoediam contaminaret. — Iam disputemus de exemplo in Bacchidibus invento. Qua in fabula Nicobulus, postquam ad portam paululum patentem accessit, Mnesilochum filium et Pistoclerum cum meretricibus potantes vidit. Sed dum senex cum Chrysalo de ea re colloquitur, advenit Cleomachus miles (v. 842), qui minatur

---

[1] Huius rei exempla etiam in tragoediis Graecis inveniuntur, cf. G. F. Karl Listmann, die Technik des Dreigesprächs in der griechischen Tragödie, Darmstadt 1910. [2] cf. cap I.

se Mnesilochum et Bacchidem secum Samo Athenas ductam, quam ille per vim retineat, ulturum esse, nisi ducenti Philippi sibi redderentur. Cuius verbis auditis servus senem timore perculsum mendaciis fallit dicens filium amare militis uxorem. Qua re eum commovet, ut militi ducentos Philippos dare constituat. Quibus de rebus milite ante aedes meretricum stante colloquuntur. Sed ille eos neque videt neque verba eorum audit. Haec quoque scaena verisimilitudini repugnat. Sed poeta rem ita instituere debuit, ut et militem et senem servumque spectatorum causa, quid facturi essent, narrantes faceret. Eadem de causa Philoxenum, qui Mnesilochi conveniendi causa domum Nicobuli intraturus est, amicum in v. 1087 domo egressum neque videre neque verba eius audire fingit. Nam priusquam duo senes colloquuntur, spectatores certiores fiant necesse est Nicobulo a filio Chrysaloque fraudem factam esse. — Simili modo in Menaechmis Messenio in scaena secum loquens (v. 966 sqq.) a Menaechmo I neque auribus neque oculis percipitur. — Neque alia ratione poeta in Mercatore utitur. Charinus enim domo progressus, cum amica ei erepta sit, parentum penatibus valedicit. Interea Eutychus domo sua procurrit, ut Charino nuntium afferat se amicam eius intus vidisse, et gaudium laetis verbis exprimit. Vix autem consentaneum esse censemus Charinum secum locutum non statim de scaena decedere - nam a v. 851 secum loqui pergit - sed magis mirandum est, quod amicum loquentem non audit. Quem quamquam putamus his verbis usum (v. 850):

„*Date, di, quaeso, conveniundi mi eius celerem copiam.*"

actutum decessurum esse, ut amicum quam celerrime conveniat, tamen in scaena remanet. Sed amicum neque videt neque loquentem audit. Quod demonstratur hoc vs. (857):

„*Cogito, quonam ego illum curram quaeritatum.*"

His quoque non auditis Charinus secum loqui pergit. In v. 864 demum Eutychus dicit haec:

„*Nescioquoia vox ad auris mihi advolavit,*"

atque in v. 866 etiam conspicit Charinum. Neque nos fugit poetam ea re veritatis speciem omnino neglexisse, ut unum locum servaret. Nam spectatores et Charinum valedicentem

et Eutychum amicam eius domi suae inventam esse narrantem audire voluit. Facile autem poeta speciem veritatis servare potuisset, si Eutychum soliloquio Charini finito demum in scaenam induxisset atque amicum statim conspicientem et alloquentem fecisset. Qua re fieri potuisse constat, ut spectatores res necessarias amicorum colloquio cognoscerent. At concedendum est scaenam effectu ridiculo non carere eo, quod Eutychus amicum quam celerrime conveniendum, quamquam iuxta eum est, statim non conspicit. Quae res poetae magis curae erat quam species veritatis[1]. — Similem scaenam in Mostellaria invenimus. Tranio enim a portu rediens soliloquio (v. 347 sqq.) narrat se ibi patrem Philolachis reversum vidisse. Ille autem adulescens cum amicis in scaena potat. Itaque putaveris Philolachem verba eius exaudire. Sed poeta eum haec loquentem facit (v. 362):

„*Adest opsonium: eccum Tranio a portu redit.*“

Servus autem in vss. 363 sqq. potantibus senis reditum nuntiat. Apparet igitur illud soliloquium a servo tantum spectatorum causa haberi. Quam ob rem poeta potantes id audire non vult. Advenit autem v. 532 danista, ut usuram praestandam a Philolache exigat. Cui Tranio iam obviam iturus est, cum senex, qui paulo ante scaenam reliquit, in scaenam revertitur et cum servo colloquitur. Mirum autem est danistam servum non statim conspicere, sed in v. 560 sq. eum videre. Quo facto servus ad feneratorem accedit. Ero autem interroganti, quo se conferat, respondet his verbis inanibus: „*Nequoquam abeo.*“ Sed omni veritatis specie neglecta seni responsum probabile esse videtur. Tum servus cum danista rixatur (v. 562 sqq.). Quae cum ita sint, num credibile est erum danistam neque conspicere neque altercationem audire? Neque tamen hic summissa voce loquitur. Servus enim eum admonet, ne clamitet nimis (cf. v. 576 sqq.). At senex inter vss. 562—610 actionis partem non capit, quasi in scaena non adsit. Videmus igitur poetam veritatis speciem plane neglexisse. Quam rem si explanare studeas, dicendum erit, poetam ridendi causa scaenam ita instituisse.

---

1) cf. Langen, p. 164.

Neque negari potest servum anxie timentem, ne senex rem comperiat, risum spectatorum movere. Qua in re poetae nihil refert senem, qui in scaena adest, res ibidem actas neque auribus neque oculis percipere[1]. Post danistae discessum servus apud senem mentitur hoc (v. 669 sq.):

„De vicino hoc proxumo
Tuos emit aedis filius.“

Quas cum videre cupiat senex, Tranio ad vicinum mittitur, postquam erus ei mandavit haec (v. 682 sq.):

„I, percontare et roga:
Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar foris.“

Servus quidem Simonem vicinum hoc temporis momento domo sua egredientem alloquitur (v. 717). Deinde sermonem incipiunt, in quo Tranio seni narrat erum *„gynaeceum aedificare“* in animo habere *„et balineas et ambulacrum et porticum“* in aedibus suis, qua de causa vicinus permittat, ut domum suam inspiciat Theopropides. Hic servo, cum diutius absit, imperat haec (v. 741):

„Heia, mastigia, ad me redi,“

ad quae respondet ille: *„Iam isti ero“*. Miramur autem, quod Simo neque senis neque servi verba audit. Magis autem verbis Theopropidis offendimur. Qui v. 683 servo mandavit, ut domum vicini intraret, atque servum tandem reversum interrogat haec (v. 787):

„Quid illic, opsecro, tam diu destitisti?“

ad quae servus vs. 788 respondet:

„Seni non erat otium: id sum opperitus.“

Demonstratur igitur et eri et servi verbis Theopropidem servum cum Simone vicino colloquentem non vidisse, quamquam ante aedes sunt. Cui rei repugnant illa senis verba v. 741. Equidem puto Plautum senem ea loquentem fecisse, ne per totum servi et vicini colloquium omnino reses esset. Praeterea vix credibile est Theopropidem illum sermonem non audire. At poeta, quod ei actio, ne scaena mutetur, in plateam transferenda est, rem ita instituere debuit[2]. Deinde erus servusque domum vicini inspiciunt. Interea Phaniscus et Pinacium adveniunt, ut Callidamatem erum domum deducant.

[1] cf. Langen, p. 171 sq. [2] cf. Langen, p. 173.

Qui dum fores pulsant, ex aedibus Simonis servus et erus redeunt in scaenam (v. 904), ubi subsistentes colloquuntur. Neque tamen servos ante ianuam stantes conspiciunt. Magis autem mirandum est, quod illi erum servumque colloquentes neque audiunt neque vident. Tandem Theopropides Tranione ad filium misso servos conspicit et alloquitur (v. 935 sqq.). Eodem igitur modo poeta rei factae speciem neglegit quo antea. Illo quidem colloquio spectatores certiores fiunt Tranionem fraudem ero paene fecisse. Itaque poetae impediendum est, ne senex a servis aut hi ab illo conspiciantur. Lorenzius quidem putavit servos inter senis et Tranionis sermonem in angiporto stare, sed ea opinio mihi parum probabilis est. Curnam servi ab ostio in angiportum decedant? Neque Lundstroemii [1] sententiam sequar, qui opinatur servos in vestibulo, quod vocatur [2], esse. Quae res si ita se haberet, quamquam senem eos statim videre non potuisse concedo, tamen mihi credibile non est servos colloquentes neque audire neque oculis percipere. — Simile exemplum in Persa invenimus. Sophoclidisca enim v. 183 ad Toxilum itura, ut mandata erae exsequatur, iam ante ianuam versatur, cum Toxilus domo procedit cum puero, quem ad amicam mittat. Itaque exspectaveris ancillam Toxilum statim allocuturam esse. At illa neque eum procedentem vidit neque verba eius audit. Miramur id quoque, quod non statim mandata erae exsequitur. Tandem colloquio Toxili et pueri finito dicit haec (v. 197):

„Cesso ire ego quo missa sum?"

Equidem puto rem hoc modo se habere. Voluit poeta spectatores Toxilum puero, quid fieri vellet, dicentem audire. Quod unius loci servandi causa ante aedes fit. Sed ancillam iam v. 167 domo egressam, cum non haberet, quod intus rediret, retinuit. Finxit autem eam colloquium Toxili et Paegnii non audire hac de causa. Toxilo enim domum reverso ancilla puerum convenit, quocum ridiculum sermonem habet, quo spectatores gaudio afficiantur. Itaque poeta Sophoclidiscam neque audientem neque videntem facit, dum puer solus ante aedes sit. — Neque magis verisimile est in

[1] cf. l. c. p. 99. [2] cf. p. 58 sq.

Poenulo sorores in sc. I, 2 Agorastoclem servumque eius atque in sc. V, 4 Hannonem et Agorastoclem neque conspicere neque colloquentes audire. Idem est dicendum de vss. 709 sqq., in quibus leno, qui argentum a Collabisco accipit, non animadvertat advocatos Agorastoclem evocare et alloqui. — Eodem modo in Pseudolo Ballio leno Pseudoli verba non audit (vss. 194 sqq. 200 sqq.), quamquam servus magna voce loquitur. Erus enim eum saepius cohortatur, ut vocem attenuet (cf. vss. 195. 208. 210.). — Eo quoque offendimur, quod in Sticho sorores ante aedes sedentes verba patris, qui iam a v. 58 in scaena loquitur, non prius quam in vs. 88 audiunt neque pater colloquium filiarum auribus percipit aut eas videt. Quae res facile explanari potest. Soliloquium enim Antiphonis quamquam aptum non est, quod in platea habeatur, tamen eo transferri debet, ut a spectatoribus audiatur. Sed cum senex poetae in eandem scaenam producendus sit, in quo filiae versantur, fingit eas patrem non prius quam soliloquium finivit (v. 87), conspicere. Item Antipho earum sermonem audire non debet.

Cap. XI.

Fingit poeta inclamationes non audiri nisi ab eis personis, ad quas pertinent, quamquam fieri non potest, quin aliae quoque personae eas auribus percipiant.

Cuius rei grave exemplum in Milite Glorioso invenimus. Nam in v. 522 Sceledrus servus domum Periplecomeni intrat, ut Philocomasii sororem geminam simulatam intus conspiciat. Post eius discessum senex statim mulierem, quae domi militis versatur, ex platea, ut quam celerrime per parietem perfossam domum suam transeat, inclamat his verbis (v. 522 sqq.):

„Heus Philocomasium, cito
Transcurre curriculo ad nos, ita negotiumst.
Post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito
Transcurrito ad vos cursum curriculo domum.“

Qua re poeta veritatis speciem plane neglegit. Nam vix fieri potest, ut meretrix, quae in interiore parte domus versetur, senis verba exaudiat. Quodsi poeta eum tanta voce clamare fingit, ut Philocomasium verba eius auribus percipiat, servi militis usum aurium amisisse videntur, cum ea non audiant[1]). Perspicuum quidem est poetam rem ita instituisse, ne fraus Sceledro facienda detegeretur, sed in hac scaena parum veritatem respexit. Equidem in exemplo Graeco rem aliter fuisse puto. Mihi enim verisimile esse videtur senem non ex platea mulierem inclamavisse, sed Palaestrionem, quem in exemplo Graeco in hac scaena adfuisse credo, Sceledro domum ingresso intromisisse, ut quam celerrime Philocomasio, quid faceret, nuntiaret. Constat enim Plautum actum II, cuius haec scaena extrema est, non ex exemplo Graeco, cui nomen Ἀλαζών erat, sumpsisse, sed ex altera comoedia, in quam paries perfossa magni momenti erat[2]). Puto autem me demonstrare posse in exemplo Graeco Palaestrionem etiam in sc. II, 6 adfuisse. Neque enim credibile est eum coram Sceledro domum senis introire (v. 480). Nam si id faceret, certe conservo in suspicionem veniret. Palaestrio quidem vss. 478 sqq. ne minimam affert causam, cur ad vicinum se conferat. Neque Sceledrus post conservi discessum remanendi vss. 481 sqq. affert causam probabilem. Immo puto vss. 478—85 Plautum ipsum composuisse, cum exemplum Graecum contaminationis causa contraheret. Sed poetam Graecum rem hoc modo instituisse puto: Sceledrus enim, postquam meretricem domi militis in lecto cubantem vidit (v. 470 sq.), Palaestrionis verbis sibi persuadet, se antea mulieris geminam sororem osculantem conspexisse. Quo facto domo sua exit Periplecomenus haec faciens verba (v. 486 sqq.):

„*Non hercle hisce homines me marem sed feminam*
Vicini rentur esse servi militis
Ita me ludificant. Meamne hic in via hospitam
Quae heri huc Athenis cum hospite advenit meo
Tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam?“

---

1) cf. Langen, p. 167 sq.   2) cf. Leo, p. 178 sqq.

Deinde senex servos increpuisse videtur. Ea quoque senis verba argumento sunt in exemplo Graeco Palaestrionem in scaena adfuisse. Nam si in v. 481 ad Periplecomenum se contulisset, ille in vss. 486 sqq. plurali numero non uteretur, cum paulo post dicat haec:

„*Accedam ad hominem.*“

Apparet igitur Plautum vss. 486—90 ex Graeca comoedia sumptos scaenae a se mutatae accommodare oblitum esse. Deinde senex Sceledrum domum suam intromittit, ut illam germanam sororem intus conspiciat, atque Palaestrionem paulo post ad Philocomasium. Palaestrio statim in scaenam redit, paulo post Sceledrus quoque senis domum relinquit. Quo facto et senem et conservum eum tanto metu affecisse credo, ut veritus, ne ab ero puniretur, aliquo aufugeret. Tum Periplecomenus et Palaestrio cum Pleusicle domo evocato Philocomasii statim abducendae consilium cepisse videntur. Auctor Graecus nescio an illius fabulae, ex qua Plautus actum II sumpsit, finem fecerit hunc. Iam Pleusicles et Palaestrio cum muliere profecturae sunt, cum miles a foro redit. Sed simili modo ei fraude facta atque Sceledro imprudens ipse amantibus et servo fugiendi potestatem facit. — At iam ad Poenulum accedamus. Nam in hac comoedia poeta eodem modo veritatis speciem neglegit atque in Milite Glorioso. Lycus enim leno cum argentum a Collabisco, Agorastoclis vilico, accepturus sit, advocati adulescentem domo evocant his verbis (v. 709 sq.):

„*Heus tu, qui furem captas, egredere ocius,*
Ut tute inspectes aurum lenoni dare“.

Iterum poeta neminem nisi Agorastoclem ipsum illa verba audientem facit quamquam consentaneum esse putamus lenonem quoque ea auribus percipere. At Lycum inclamationem audientem non facit, ne ille sibi insidias parari sentiat. Praeterea autem adulescentem evocari opus non est, cum testes ipsi ad lenonem captandum conducti sint. Praeterea adulescens postea cum Lyco colloquens (III, 5) ne uno quidem verbo commemorat se ipsum servum auro dato domum lenoniam intrantem vidisse. Itaque dubito an in exemplo Graeco a Plauto cum *Καρχηδονίῳ* coniuncto

res aliter se habuerit. Sane quidem credibile est hanc difficultatem ex huius comoediae contaminatione ortam esse. At hanc opinionem certis argumentis probare frustra studui.

Cap. XII.

Poeta personas domo abituras ante aedes secum aut cum aliis personis colloquentes facit, priusquam scaenam relinquunt.

Apparet autem poetam unitatis loci causa rem ita instituisse. Ut exemplum afferam in Aularia Euclio, priusquam abit, compluribus vss. (105 sqq.) spectatores docet, cur sibi abeundum sit. Putaveris autem Congrionem quoque coquum a sene domo exturbatum ilico hunc locum relicturum esse, cf. haec eius verba (v. 467):

„*Date viam qua fugere liceat, facite totae plateae pateant.*"

Sed ille in plateam progressus ridiculum soliloquium habet, dum senex domo procedit. Qui cum coquo in platea altercatur. Videmus igitur poetam coquum discedentem non fecisse, ut spectatores verbis ridiculis delectarentur. Neque minus Euclionem miramur, qui v. 449 [1] domo procedit, ut aulam in Fidei fano abscondat. Nam exspectamus eum, cum semper metuat, ne quis, quantum thesaurum possideat, comperiat, quam celerrime eo se collaturum esse. Nihilominus denuo coquum, qui iam in scaena est, increpat. Saltem post eius discessum poeta eum abeuntem facturum esse exspectaveris. At remanens solus secum loquitur, dum Megadorum advenientem conspicit. Sed quamquam paulo ante (v. 462 sqq.) Megadorum coquos misisse, ut aulam surriperent, suspicatus est, nunc facit haec verba (v. 474):

„*Iam hunc non ausim praeterire quin consistam et conloquar.*"

Nonne Euclio timere debet, ne Megadorus ex se quaerat, quidnam sub pallio abditum sit? Sane igitur mirum

---

[1] cf. Polczyk, p. 55.

est, quod eum exspectat. Qui scaenam ingressus multos vss. (475—536) loquitur, priusquam Euclionem conspicit et alloquitur. Verisimilius quidem est eum, ne Megadorus se conspiciat, quam celerrime domum redire aut ei obviam ire et paucis verbis factis valedicere. At Euclio in scaena subsistens non solum Megadori verba auscultat, sed etiam v. 523 sq. dicit:

„Compellarem ego illum ni metuam ne desinat
Memorare mores mulierum“

atque a v. 537 cum eo colloquitur. Tum demum in Fidei fanum se confert (v. 586). Certe quidem omnes eae scaenae compositae sunt, ut spectatorum risum moverent. — In Bacchidibus quidem exspectamus Lydum, postquam domo meretricum se praecipitavit, statim ad Philoxenum iturum esse, ut ei flagitia filii nuntiare possit. Sed antea spectatores de rebus necessariis docet (v. 368 sqq.). — Similiter res in Casina se habet. Lysidamus enim senex et Olympio Chalinum servum Casinae veste indutum domum vicini introduxerunt. Unde brevi tempore Olympio in plateam confugit dicens (v. 875 sq.):

„Neque quo fugiam, neque ubi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem
Scio“: e. q. s.

Putamus igitur eum quam celerrime aliquo se collaturum esse. Sed ante aedes subsistens spectatoribus enarrat[1]), quomodo nuptias fecerit cum Casina subditiva. Neque aliter se gerit senex post v. 936 domo egressus. — Item lena in Cistellaria, quam post v. 119 de scaena decessuram esse exspectamus, soliloquium habet nulla alia de causa, nisi ut spectatores doceat. — In Curculione quidem parasitus domo se praecipitat, cum Planesium ei anulum militi surreptum eripere velit. Itaque ei statim effugiendum esse censeas, sed spectatores, quid intus factum sit, certiores facit[2]). Tum Phaedromus eiusque amica parasitum in plateam sequuntur. Apparet autem, cur poeta rem ita instituerit. Nam cum eas personas in scaena adesse opus sit, poetae utcunque pro-

---

[1]) cf. Polczyk, p. 77. [2]) cf. Polczyk, p. 76.

ducendae sunt. Itaque Curculionem domo se praecipitantem facit, ut etiam erus et Planesium exeant. – Neque Eutychus in Mercatore domo progressus, ut Charino quam celerrime nuntiet eius amicum domi suae versari, ilico abire parat[1]. Antea enim spectatores de illa re certiores facit. — In Mostellaria Simo ad forum abiturus est (v. 707), ut uxoris desiderium effugiat. Qui quoniam clam ex aedibus egressus est, statim eum abscedere consentaneum est. At ille ante aedes subsistens solus secum, deinde cum Tranione eiusque ero diutius colloquitur, priusquam ad forum se confert (v. 853). — In Poenulo quidem v. 210 domo lenonis procedunt Adelphasium et Anterastylis meretrices, ut in Veneris templum se conferant, ubi Aphrodisia celebrantur. Sed quamquam sorores progressae ilico eo abire consentaneum est, poeta huius rei rationem non habet. Nam id spectat, ut spectatores de moribus sororum certiores faciat. Itaque eae per multos vss. colloquuntur et in vs. 329 demum abiturae sunt. Sed eo ex colloquio et ex sermone paulo post cum Agorastocle et Milphione habito facile intellegitur sororum condicionem et mores, quibus in hac scaena utuntur, repugnare eis, quae quintum actum legentes cognoscimus. Nam in hoc actu mulieres ingenuas Carthaginienses esse fingit poeta, quae hoc ipso Aphrodisiorum die meretrices futurae sint, cum in illa scaena sorores ne unum quidem verbum faciant se ingenuas esse et quaestus meretricii sane peritae sint[2]. Haec igitur scaena *Καρχηδονίῳ* repugnat. Immo ad id exemplum Graecum spectat, quod Plautus in Poenulo contaminanda cum *Καρχηδονίῳ* in unam comoediam confudit. In hac fabula virgines eodem die, quo quaestum meretricium ingressurae sunt, a lenone liberantur eo, quod pater filias olim surreptas reperit, sed in altera fabula Graeca duae meretrices ab alterius amatore lenoni per dolum eripiuntur. — In Sticho senex domo procedit, ut filiam maiorem invisat (v. 75). Neque tamen propositum statim exsequitur, sed omni veritatis specie neglecta ante domum servis, quid faciant, imperat, deinde autem spectatores certiorem facit, cur ad filiam ire in animo

[1] cf. Langen, p. 164.
[2] Accuratius de ea re disputavit Langenus, p. 182 sqq.

habeat. — Sed in Truculento Astaphium meretricis ancillam miramur, quae ab era ad Strabacem missa v. 75 domo exit. Neque vero ea statim Phronesii mandata exsequitur. Nam in scaena convenit Diniarchum, quocum a v. 115 usque ad vs. 209 colloquitur. Poeta autem, ut spectatorum risum moveret, illum sermonem longius extendit. Sed saltem adulescente intromisso eam, quo missa est, abituram esse exspectamus. Sed etiam tum subsistit atque multis vss. spectatores de rebus ad fabulam intellegendam necessariis docet. Tum demum Strabacis aedes petit.

Cap. XIII.

De nonnullis rebus singularibus.

In Asinaria quidem has difficultates reperimus. Argyrippus enim adulescens a Cleaereta lena amicum visere vetitus ad forum se confert, ut argentum sibi quaerat (v. 242 sqq.). Cui loco repugnat sc. III, 2, qua ineunte adulescens cum amica domo lenonia procedit, ut ei valedicat. Iam antea Libanus Leonidae in vs. 329 dixerat: „*minor* (sc. erus) *hic est intus*". Fingit igitur poeta Argyrippum, quamquam eum ad forum euntem fecit, tamen in scaena adesse, ubi necessarius est. Reprehendendum autem est, quod poeta ne uno quidem verbo spectatores docet Argyrippum interea a foro redisse. Equidem puto hanc discrepantiam in exemplo Graeco non fuisse, sed Plautum eam admisisse, cum Asinariam contaminaret. Quae opinio his argumentis demonstrari potest. In sc. I, 1 Daemenetus pater dicit se filium, cui viginti minis opus sint (v. 89), adiuturum esse, atque Libanum servum id argentum fraude uxori facienda comparare iubet. At in sc. I, 3 adulescens a lena quaerit, quid argenti pro amica poscat (v. 230), atque hac scaena exeunte in forum abit, ut XX minas a lena postulatas sibi parare studeat. Quodsi scit patrem se adiuturum esse, adulescentem ipsum XX minas quaerere necesse non est. Deinde miramur, quod lena cum Philaenio initio sc. III, 1 nulla alia de causa domo procedit, nisi ut mulierem increpet, quod Argyrippum non deserat.

Deinde duas mulieres intus redire iam vidimus. Quod cum ita se habeat, incredibile est adulescentem v. 592 domo Cleaeretae exire. Porro initio act. IV subito Diabolus cum parasito advenit, ut lenae syngraphum deferant, quo Philaenium Diabolo in annum addicatur. Offendimur autem eo, quod poeta eam rem in scaenis praeteritis non praeparavit. Neque minus mirum est, quod Diabolus et parasitus in v. 809 domum ingressi in v. 810 iam redeunt. Viderunt autem senem intus potantem (v. 825 sq.), quamquam in sc. V, 1 demum in platea potationis initium fit. Iam Goetzius et Loewius [1]) propter discrepantiam scaenarum I, 1 et I, 3 scaenas I, 2 et 3 Demophili exemplaris non esse censuerunt. Immo Plautum illas scaenas ex altera comoedia sumpsisse. Equidem puto difficultates antea enumeratas explicari non posse nisi ita, ut Plautus Asinariam contaminaverit, id est Demophili Ὀναγῷ (A) partes alterius exempli Graeci (B) inseruerit. Ὀναγοῦ actio fuit haec: Pater pollicetur se filio XX minas, quibus amicam emat, paraturum esse. Itaque fraudem uxori facit duobus servis adiuvantibus, eo quod Leonida se Sauream vilicum matronae esse simulat. Fabulae in fine pater cum filio eiusque amica comissatur, uxor autem de re certior facta maritum potantem et amantem improviso opprimit. Verisimile est in fabula A Sauream scaenam ingressum esse. Nescio quidem, an in sc. IV, 2 uxorem domo arcessiverit, ut fraudem sibi factam maritum ulcisceretur. Neque in exemplo A mirandum est, quod v. 591 adulescens cum amica domo lenonia procedit. Immo puto rem ita explanari posse. Lena, ut aliquo se conferret, cum meretrice in sc. III, 1 domo processit. Philaenium autem Argyrippo aditum dare vetat, deinde meretrice intromissa abit. Hunc sermonem nescio an duae scaenae in exemplo Graeco secutae sint: Argyrippus enim domo progressus soliloquio narravisse videtur, quanto maerore affectus esset, cum emendae amicae potestatem non haberet. Deinde amicam aliqua ratione domo progressam cum adulescente collocutam esse puto. Deinde nescio an adulescentem secum intus duxerit, cum lena abesset. Quo fit, ut Argyrippus v. 591 domo Cleaeretae

[1]) praef. XXIV.

procedit. Deinde exspectamus paulo post v. 745 amantes cum sene domo processuros esse, ut comissentur. Sed post v. 828 demum exeunt. Apparet igitur scaenis inter Diabolum et parasitum actionis cohaerentiam dirimi. Equidem puto in fabula A comissationis iam a v. 745 initium fuisse, Sauream autem interea de fraude certiorem factum, cum comissantes ex latibulo vidisset, uxori, quid rei esset, nuntiavisse. Plautus igitur, ut duas fabulas artius inter se coniungeret, scaenam IV, 2 ipse composuisse videtur. Eadem de causa nescio an vs. 329 sq.:

LE. „Ubinamst erus?"

LI. „Maior apud forumst, minor hic est intus", composuerit. Fabulae B argumentum hoc fuisse videtur. Lena adulescenti, cui meretricem in annum conducere in animo habeat, non obsequetur, nisi XX minas dederit. Alter autem amator hodie a lena exspectatur, qui Philaenium argento dato secum abducat. Adulescens igitur cum lena collocuta in forum abit, ut argentum quaerat. Verisimile est eum frustra pecuniam adipisci studuisse, sed servum aliqua fraude amicam ad erum deduxisse. Diabolum autem post tempus advenientem lenam ultum fuisse puto, quod mulier ei erepta est. At exempli B actio non satis perspici potest, cum Plautus ex ea nihil nisi sc. I, 2; I, 3; IV, 1 sumpsisse videatur.

Iam ad Menaechmorum sc. V, 7 accedamus. Messenio enim Menaechmum I, quem erum esse putet, a servis, qui eum ad medicum deducant, liberatum orat, ut, dum vasa et argentum a taberna attulerit, hoc loco maneat. Quod sane incredibile est, cum idem servus in sc. II, 1 Menaechmum II monuerit, ut Epidamnum quam celerrime relinqueret[1]), cf. v. 258 sqq. Miramur quidem, quod Menaechmum non statim secum abducere conatur. At poeta impedire voluit, ne servus iam nunc se Menaechmum I falso erum putavisse cognosceret. Neque si Menaechmus I se erum Messenionis esse simularet, poeta, ne scaena mutaretur, eum in platea remanentem facere non posset. Messenio igitur in v. 1038 dixit: „*hic me mane*" ut fratres coram spectatoribus inter se recognoscerent.

[1]) cf. Langen, p. 156.

Denique etiam discrepantiae in Poenulo inventae mentionem faciam. Fabula enim agitur Calydone [1], in oppido Aetoliae. Rem ita esse demonstratur prologi vss. 72 et 94, v. 1181, in quo Venus Calydonia nominatur, v. 621, in quo advocati Aetoli cives declarantur. Sed ab his versibus abhorret v. 372, cum Milphio Adelphasio haec dicat:

„*Atque te faciet, ut sis civis Attica*“ *e. q. s.*

At haec difficultas facile explanatur. Nam cum haec comoedia contaminata sit, quaerimus, ad utrum exemplorum Graecorum pertineant versus enumerati. Cum Leo prologum *Καρχηδονίου* esse argumentis demonstraverit, vss. 72 et 94 olim certe in argumento eius comoediae Graecae fuerunt. Neque aliud est dicendum de v. 1181, qui scaenae V, 4 sit. Calydone igitur exemplar Graecum actum esse constat [2]. Sed vs. 621 quoque fabulam Calydone agi demonstratur. Ille versus, cum sc. III, 2 sit, ad alterum exemplum Graecum pertinet. Atqui v. 372, quamquam eiusdem fabulae est, tamen a v. 621 abhorret. Nam secundum v. 372 fabula Athenis agi videtur. Quam discrepantiam facile explicabimus si Langenum [3] et Leonem [2] sequemur, qui censent alteram fabulam re vera Athenis actam esse. Sed Plautum, cum Poenulum *Καρχηδονίου* auctorem secutus Calydone agi voluerit, partes ex altera fabula sumptas, ut unum locum servaret, ibidem agi fingere debuisse. Itaque poetam in fabula contaminanda loca ad Athenas spectantia *Καρχηδονίῳ* accommodavisse praeter unum v. 321. Qua negleglentia nisi usus esset poeta, fabulam B Athenis actam esse intellegi non posset.

---

1) cf. Legrand, revue des études grecques 16, 1903, p. 373.
2) cf. Leo, p. 171¹. 3) p. 185.

Pars II.

De specie veritatis ob temporis unitatem neglecta.

Cap. I.

Plautus saepius res intra brevius tempus fieri fingit, quam nobis credibile est[1].

Cuius rei gravissimum exemplum in Amphitruone invenimus. Nam in fine huius fabulae Alcumena pueros geminos parit, quorum alter Amphitruonis, alter Iovis est, quamquam Iuppiter proxima nocte Alcumenam gravidam fecerat. Plautus igitur veritatis speciem plane neglexit, cum Alcumenam eodem die, quo concepit, parturientem fecerit. Neque poeta Graecus illius discrepantiae auctor fuit. Iam supra vidimus Amphitruonem contaminatam esse. Coniunxit autem Plautus exemplum Graecum, in quo Alcumena ex viro iam gravida nocte longiore ex Iove quoque filium concepit (A), cum altero, in quo peperit filios geminos (B). Neque contigit poetae, ut contaminationis vestigia deleret. Ita fit, ut Iuppiter Alcumenam modo proxima nocte gravidam fecisse videtur, modo iam ante septem menses. Ut prologi vss. 111 sqq:

„*Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat*
Et haec ob eam rem nox est facta longior
Dum cum illa quacum volt voluptatem capit“ *e. q. s.*

usque ad v. 139 ad exemplum A pertinere manifestum est. Neque enim credibile est Iovem paulo ante partum cum Alcumena voluptatem capere. Iis vss. repugnant v. 104—11, quibus Iovem Alcumenam iam gravidam fecisse cognoscamus. Qui vss. ad exemplum B spectant. Plautus autem eos prologo exempli A inseruit, ut id cum altero coniungeret. Vss. 140—45 et exempli A et exempli B fuisse possunt. At vss. 148—152 ad fabulam B spectant, cum iis sc. I, 1 ex fabula B sumpta praeparetur. Plautus igitur, ut mea fert opinio, prologo ex exemplo A sumpto inseruit nonnullos vss. prologi exempli B. Eadem de causa Plautus in sc. I, 1 ad B perti-

[1] In tragoediis Graecis res item se habet, cuius rei exemplum infra afferam.

nente Sosiam et Mercurium noctis longae mentionem facere fingit (v. 269—90). Quae verba facile secerni possunt. Vss. enim 291 sqq. optime cohaerent cum v. 269. Post Sosiae discessum Mercurius soliloquium habet, quod olim in fabula B fuisse negari non potest. Nam vss. 480 sqq. Mercurius haec dicit:

„Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos:
Alter decumo post mense nascetur puer,
Quam seminatust, alter mense septumo“ e. q. s.

Quibus verbis prologi vs. 104—111 supplentur. Unde intellegimus Iovem antea Alcumenam iam gravidam fecisse. Repugnant autem v. 465:

„Patri ut liceret tuto illam amplexarier,“

et v. 472—78, in quibus non partus commemoratur, sed Iovem cum Alcumena hac nocte concubare. In his versibus deus etiam praenuntiat Iovem rixam coniugum suo concubitu ortam compositurum esse. Plautus igitur, cum huic sermoni fabulae B nunnullos vss. inseruerit, quibus ea cum A coniungeretur, simili ratione utitur atque in vss. 861—881. Scaenam I, 3 exempli A esse satis apparet. Nam Iuppiter Alcumenae valedicit et noctem diei cedere iubet. Quae cum ita sint, apparet Plautum v. 499—501, ex quibus Alcumenae menses iam actos esse intellegitur, contaminationis causa adiecisse. Nam ea verba rebus hac nocte factis repugnant. Sc. II, 1 certe ad B pertinet, cum scaenam II, 2 ad A pertinere iam antea dixerim. Versus ad Alcumenae graviditatem spectantes a Plauto huic scaenae contaminandi causa inserti sunt. Videmus igitur Plautum re vera, cum Amphitruonem contaminaret, facere non potuisse, quin Herculis conceptionem et Alcumenae partum eodem die fieri fingeret. — Alterius quoque exempli in hac fabula mentio facienda est. Amphitruo enim v. 861 ad portum abiit, ut Naucratem arcesseret, in v. 1009 iam in scaenam redit. Quod veritatis speciem plane neglegit, praesertim cum Amphitruo loquatur, proinde ac si cognatum diu quaesiverit (vs. 1009—15)[1]. — Simili modo in Asinaria Leonida in v. 380 ad forum profectus, ut

[1] Polczyk, p. 31 sq.

Demaenetum de mercatoris adventu certiorem faciat, iam post v. 405 propositum exsecutus in scaenam redit[1]). Quae res quamquam veritatis speciei omnino repugnat, tamen poetae ita instituenda est, ut fraus mercatori perfici possit. Senex enim antea de ea re docendus est. — In Aulularia quidem miramur, quod Euclio, qui v. 677 in lucum Silvani ante oppidum positum se contulit, ubi aurum abstruderet, iam in v. 712 in scaenam redit. Sed incredibile est senem tantum viae spatium inter 37 vss. conficere potuisse, nedum fieri posset, ut non solum aurum abstruderet, sed etiam diutius in luco versaretur, cum in scaenam redeat lamentans, quod sibi aula surrepta sit. Etiam maiore celeritate poeta Strobilum uti fingit. Quem, quamquam post senem demum de scaena decessit, tamen ex v. 705 sq. intellegimus multo prius eo advenisse quam senem. Servus iam post v. 700 in scaenam revertitur[2]). Poeta quidem quamquam hanc discrepantiam minuit eo, quod v. 682 actus finem fecit, tamen non delevit. Nam inter act. IV et V actionem tantum breve temporis spatium est, quod inde apparet, quod Lyconides in sc. V, 1 matrem orat, ut avunculum certiorem faciat de eis, quae cum ea de Euclionis filia communicavit. Verisimile enim est eum matrem certiorem facere paulo postquam Megaronidem amicam suam uxorem ducere in animo habere cognovit. Quod iam multo ante act. V factum esse manifestum est, atque etiam quaerimus, cur adulescens non docuerit prius matrem. — In Bacchidibus haec exempla invenimus. Inter v. 100 et 108 Pistoclerus domo meretricum obsonatum ad forum se confert et redit[3]). Mnesilochus autem, qui v. 526 domum intrat, ut patri aurum reddat, iam in v. 530 in scaenam redit haec faciens verba:

„*Sed veniam mihi quam gravate pater dedit de Chrysalo*:
Verum postremo impetravi, ut ne quid ei suscenseat.“

Quamquam inter v. 525, quo actus finiatur, et v. 526 spatium est, tamen tempus brevius est, quam ut verisimile sit adulescentem re vera interea patrem docuisse, quid rei esset, et commovisse, ut servo ignosceret[4]). — Grave exem-

1) cf. Polczyk, p. 32. Langen p. 102. 2) cf. Langen, p. 108 sq.
3) cf. Polczyk, p. 32 sq. 4) cf. A. Spengel, die Akteinteilg. der Komöd. d. Plaut. München 1877, p. 36.

plum etiam in Captivis invenimus. Cuius fabulae, quae in Aetolio oppido agitur, post act. II Philocrates ab Hegione in Elidem mittitur, ut senis filium redimat et in patriam reducat, atque iam actu IV ineunte in Aetoliam reversus est. Qua re speciem veritatis plane neglegi manifestum est, cum nullo modo fieri possit, ut quis uno die ab Aetolia in Elidem eat et redeat[1]). Hoc igitur exemplo facile perspici potest poetam temporis unitatis causa res, quae uno die agi non possunt, intra hoc temporis spatium perfici fingere. Simili modo in Sophoclis Trachiniis eodem die Hyllus ex Thessalia ad Euboeam it et redit, sed Lichas in v. 629 demum eodem profectus est atque iam in v. 734 Hyllus in scaenam reversus narrat Herculem, postquam vestimentum a Deianira per Licham missum induerit, in morbum gravem incidisse. Tandem paulo post Hercules in scaenam transportatur. Alia quoque exempla apud tragicos Graecos inventa afferri possunt. Videmus igitur Plautum vel potius novae comoediae poetas tragicorum exemplum imitatos esse[2]). — Id quoque offendimus in Captivis, quod poeta servos v. 950 ad Tyndarum adducendum missos iam cum eo post v. 997 redeuntes facit[1]). Praeterea ex Tyndari verbis (v. 998—1004) intellegitur eum diutius in lautumiis fuisse. Idem est dicendum de Hegionis et Philocratis verbis (942 -46), cum ea nullius momenti sint, nisi adulescens re vera in lautumiis opus fecit[1]). At ii versus plane veritatis speciei repugnant, quod post v. 750 demum in lautumias deductus est, praesertim cum antea faber ei catenas iniecerit (cf. v. 733 sq.). Praeterea autem lautumiae ante oppidum sitae sunt (v. 375). Tyndarus vero vix in lautumias pervenisse potest, cum Hegio eum arcessi iubet. Tandem inter vss. 460 et 498 neque ea fieri possunt, quae Hegio narrat (v. 498 sqq.) neque inter v. 908 et 909 ea, quae puer narrat. Id pueri soliloquium mihi act. IV esse videtur, cum ad act. sequentem non pertineat neque Langenum sequar, qui ab hac scaena act. V ordiri fingit. Puer autem a poeta nulla alia de causa productus esse videtur, nisi ut soliloquio spatium ab Hegionis discessu usque ad

[1]) cf. Polczyk, p. 32 sq. [2]) cf. Guil. Felsch, Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint, Vrat. 1907.

reditum expleret. — In Casina quidem miramur Lysidamum v. 563 a foro redeuntem, cum ibi cognato in iudicio adfuerit, se diem contrivisse dicere, cum post v. 530 demum eo se contulerit. Neque vero tam brevi tempore eae res fieri possunt, quas senex eloquitur [1]. — Lyco autem in Curculione qui cum lenone collocutus de scaena decessit (v. 526) iam post septem versus redit cum Therapontigono milite rixans. Sed iam priusquam in scaenam veniunt, altercationis initium fecerunt, ut verbis eorum demonstratur. Quae cum ita sint, Plautus hoc loco temporis intervalla neglexit. At sane incredibile est Therapontigonum iam hoc die Epidamnum venire. Curculio enim, postquam anulum ei surripuit, statim oppidum Cariam reliquisse manifestum est. Nam ei quam primum redeundum erat, ut erum de rebus ad amicam emendam necessariis certiorem faceret. Praeterea periculum erat, ne miles Curculionem anulum surripuisse animadverteret. Sed iure miramur militem iam hodie Epidaurum venire, praesertim cum in v. 583 sq. demum Curculionem sibi anulum surripuisse intellegat. Huc accedit, quod parasitus ebrio militi dormienti anulum subduxit (cf. v. 360 sqq.). Neque ipse Planesium Epidauro abducere in animo habuerat (cf. 345 sqq.). Quibus de causis sane incredibile est, Therapontigonum iam hodie Epidaurum venire [2]. Immo putaveris eum post nonnullos dies demum eo se collaturum esse. Iterum igitur Plautus rei factae speciem neglexit, ut comoedia intra unius diei spatium perageretur. — Item consentaneum non est Apoecidem iam in v. 396 cum fidicina advenire, cuius conducendae causa Epidicus ante XX vss. demum ad forum se contulit, et Periphanem iam post v. 720 in scaenam redire, quamquam v. 716 demum domum introiit, ut filiam re vera inventam esse sibi persuaderet. Huc accedit, quod senex inter hos quinque versus etiam a filio aliisque permovetur, ut servo ignoscat. — Neque Menaechmi fabula similibus discrepantiis caret. Ut Menaechmus II in v. 441 domum meretricis ingressus iam in v. 463 in plateam procedit, quamquam poetam eum diutius intus fuisse fingit. Dicit enim in v. 476 sq. haec:

[1] cf. Polczyk, p. 32. Langen, p. 125. [2] cf Langen, p. 136 sq.

„Prandi, potavi, scortum accubui.“

Quae ad perficienda spatium inter v. 441 et 463 brevius est. Sed poeta rei factae speciem plane neglegit, cum patrem matronae, quamquam Decio post v. 737 demum eum accessit, iam in v. 753 in scaenam pervenire fingit, praesertim cum senex dicat propter senectutem vires se deficere [1]. Neque magis consentaneum est eundem senem, qui v. 876 ad medicum se contulerit, in v. 882 reverti haec verba facientem (882 sq.):

„Lumbi sedendo, oculi spectando dolent,
Manendo medicum, dum se ex opere recipiat.“

Iterum quidem poeta temporis intervalla plane neglexit, quamquam v. 881 actus finem fecit. — In Mercatore Lysimachus senex nuntium ad uxorem rus mittit (v. 282), qui eam certiorem faciat senem, cum ei in urbe negotium sit, eo venire non posse. Qua re cognita Dorippa cum Syra v. 668 domum redit. Illum quoque reditum poeta celerius agi fingit, quam consentaneum est, praesertim cum Syra, ut est octoginta quattuor annos nata (v. 673), tardo pede iter emetiatur. Neque poeta rem ita instituere non potuit, cum Dorippam in scaena adesse opus sit. Neque magis credibile est anum post v. 787 matronae patris arcessendi causa de scaena profectam iam in v. 803 redire [2], atque Eutychum intra quinque vss. (956—61) matri persuadere se Lysimacho iniuste irasci. — Philocomasium quoque in Milite Glorioso v. 526 celerius, quam consentaneum est, per parietem perfossam domum Periplecomeni se conferat necesse est, cum Sceledrus iam v. 530 domo senis progressus dicat haec:

„Vidi et illam et hospitem
Conplexum atque osculantem.“

Ac ne id quidem cum rei factae specie congruit, quod senex, qui v. 805 ad forum se contulit, ut duas mulieres callidas fraudis militi instituendae causa conduceret, eas iam in v. 870 in scaenam deducit. Quae res quamquam non a comoediarum usu abhorret, tamen nescio an Plautus comoediae contaminandae causa actionem inter vs. 804 et 870 circum-

---

1) cf. Polczyk, p. 33. 2) cf. Dietze, l. c. p. 74, adn. 1.

ciderit. Nam cum Lurcio, ut iam supra diximus, in Ἀλαζόνι similes partes egisse videatur, atque Sceledrus in altera fabula, credi potest scaenam inter Palaestrionem et Lurcionem in exemplo Graeco longiorem fuisse. — Iam accedamus ad Mostellariam. In qua fabula Theopropides de scaena decedit, ut eum, a quo domum emit, interroget, num re vera hospes interfectus in aedibus defossus sit. Sed iam post 17 vss. propositum exsecutus in scaenam redit (v. 547 sq.). Item hac re demonstratur poetam temporis intervalla neglegere, quod Callidamates, quamquam in scaena II, 1 adeo ebrius est, ut pedibus uti non possit, sed domum vectetur, tamen in sc. V, 2 crapulam edormivit, cum in scaena necessarius sit. — Idem est dicendum de Persae lenone, qui inter v. 448 et 470 ad praetorem it, ut Toxili amicam manu emittat, et propositum exsecutus domum redit. Idem v. 731 sq. domi, quam in v. 723 demum ingressus est, haec se fecisse narrat:

„*Transcidi loris omnis adveniens domi*:
Ita mihi supellex squalet atque aedes meae.“

Quod intra octo versus fieri non potest [1]. — In Poenulo Agorastocles servo dicit haec (v. 415 sq.):

„*Trecentos Philippos Collabisco vilico*
Dedi dudum, priusquam me evocavisti foras“,

i. e. inter v. 197 et 205. Quod spatium brevius est, quam ut ad aurum Collabisco dandum satis sit. Cogitandum enim est adulescentem non solum ei argentum tradere potuisse, sed etiam eum paucis verbis docere debuisse, quidnam argento faceret. Sed ut iam supra vidimus, v. 197 sqq. a Plauto ipso contaminationis causa compositi sunt. In exemplo Graeco haec res alia fuit. Certe enim poeta Graecus fraudem lenoni faciendam accuratius praeparandam curavit. Assentior autem Lachmanno [2] rato adulescentem in exemplo Graeco argentum vilico tum demum dedisse, cum a Milphione sycophantiis exornatus esset. Sin autem in Poenulo argentum iam antea datur, Plautus rem ita instituisse videtur, cum fabulam, in qua lenoni fraus fit, contaminationis causa circumcideret. Voluit enim, ne Poenulum longius extenderet,

[1] cf. Spengel, l. c. p. 17 sq. [2] l. c. p. 257.

paulo post scaenam I, 2 fraudem parari. Adulescens autem v. 449 ad forum se confert, ut advocatos arcessat, atque iam in v. 504 cum iis in scaenam redit. Ea quoque re veritatis species neglegitur, praesertim cum cognoscamus adulescentem eos iam de omnibus rebus necessariis docuisse (v. 547 sqq.). — Similiter in Pseudolo veritatis specie neglecta Pseudolus Simiam veste militis indutum et de dolo certiorem factum iam v. 905 in scaenam deducit, quamquam v. 767 demum ad forum abiit, ut sycophantam, quid faceret, doceret. Praeterea cogitandum est Simiam, priusquam ad Pseudolum in forum se contulerit, habitum suum permutavisse. — Grave quidem est hoc Rudentis exemplum [1]). Plesidippus enim adulescens v. 886 lenonem in urbem trahit, ubi in iudicium eum vocet. Sed iam in v. 1265 in scaenam redit, quamquam iter a Daemonis villa usque ad urbem longum est atque etiam interea Palaestra a iudice lenoni abiudicata est. Apparet igitur in hac quoque comoedia poetam unius temporis servandi causa verisimilitudinem non respexisse. — Neque alia ratione in Trinummo poeta usus est. Nam v. 820 Megaronides in forum se confert, ut sycophantam conducat, qui Lesbonico litteras tradat. Quas de scaena decedens nondum scripsit. Itaque re vera plane incredibile est sycophantam iam in v. 843 scaenam adire [2]). Neque magis fieri potest, ut Stasimus inter v. 728 et 1008 omnia ea egerit, quae spectatoribus narrat [2]).

Cap. II.

Nonnumquam poeta temporis intervallum longius extendit, quam consentaneum est.

Cuius rei haec afferam exempla. In Bacchidibus Lydus domo meretricum in plateam se praecipitat (v. 367) summa indignatione inflammatus de eis, quae intus vidit et

„*Quae ut aspexi*", inquit, „*me continuo contuli protinam in pedes*" (v. 374).

Quae verba audiens putaveris eum haud diu in aedibus Bacchidum versatum esse. At cum ille iam v. 170 Pistoclerum

1) cf. Polczyk, p. 34. 2) cf. Polczyk, p. 34.

intus secutus sit[1]), poetam veritatis ne minimam quidem rationem habuisse apparet. Neque tamen causam affert, cur Lydus per tantum spatium temporis intus moratus sit. Id eo magis miramur, quod v. 178 Lydo relicto Pistoclerus solus domo procedit et in platea diutius cum Chrysalo servo colloquitur. Frusta autem quaerimus, curnam Lydus intus remaneat. Quamquam facile explanari potest, cur poeta rem ita instituerit. Nam poetae utcunque efficiendum erat, ne Lydus in sc. II, 2 et II, 3 adesset. — Neque magis verisimile est hoc Menaechmorum exemplum. Messenio enim in v. 966 in scaenam redit, ut erum domo Erotii abducat. Illius quoque ex verbis concludendum est eum quam celerrime mandata eri exsecutum esse[2]). Nam in vss. 986 sq. haec loquitur:

„Postquam in tabernam vasa et servos collocavi ut iusserat,
Ita venio advorsum.“

Estne autem credibile eum, si tantum eri mandata fecisset, tam diu a scaena afuturum fuisse? Nam Messenio iam v. 446 ad tabernam se contulit. Eo igitur, quod servum nihil nisi mandata eri exsequentem facit, poeta veritatis speciem laedit. Neque servum prius in scaenam redeuntem facere potest, ne in scaenis III, 2—V, 5 adsit, quae non nisi Messenione absente agi possint. At in sc. V, 6 et 7 poeta eum adesse vult, ut auxilio Menaechmo I lato efficiat, ut Menaechmus II fratrem reperiat. — Denique pauca adiciam de Poenulo. Cuius fabulae post v. 822 Syncerastus vasa domum portat, quibus leno in sacrificiis faciendis usus est. Exspectaveris autem eum paulo post lenonis reditum (v. 449) scaenam ingressurum esse. Neque enim habet, quod diutius in templo Veneris moretur. Quamquam Langeno assentior, qui in pg. 189 dicit haec: *„Ganz naturgemäß erscheint Syncerastus später auf der Bühne: er konnte nicht den Tempel sofort verlassen, sondern die beim Opfern gebrauchten Gerätschaften mußten erst gereinigt und zusammengepackt werden“*, tamen Plautus hanc rem longius extendit. Certe quidem Plautus ipse, cum comoediam contaminaverit, huius discrepantiae auctor est.

[1]) cf. Langen p. 113. Polczyk p. 39 sq. [2]) cf. Langen p. 155. Polczyk, p. 33 sq.

Cap. III.

Poeta, ne actio unius diei spatium excederet, nonnumquam res, quas ante initium fabulae actas esse consentaneum est, in comoedia ipsa agi finxit.

Curculione ineunte domo procedunt Phaedromus adulescens et Palinurus servus. In platea erus servum certiorem facit se Planesii meretricis amore inflammatum esse, quae Cappadoci lenoni serviat. Quam cum emere in animo habeat, se Curculionem parasitum Cariam in oppidum misisse, ut argentum peteret, quod lenoni daret. Quaerimus autem, num credibile sit servum eas res nondum scire. Immo servum iam multo prius haec cognovisse oportet [1]. Et servus Cappadocem lenonem novit, ut sc. II, 2 demonstratur. Neque servum de iis rebus prius quam fabula ineunte certiorem fieri vult, ut spectatores quoque de rebus necessariis doceat. — Neque alia de causa Messenio in Menaechmis erum in scaena demum, cur Epidamnum se contulerit, rogat, quamquam id iam in navi factum esse oportet. — In Poenulo quidem poeta tantum spectatorum causa Agorastoclem hodie demum a servo petentem facit, ut in malo lenoni dando sibi adsit. — In Pseudolo poeta Calidorum servumque eius in plateam producit, ubi Pseudolus haec ero dicit (v. 9 sqq.): „*Responde mihi*

Quid est, quod tu exanimatus iam hos multos dies
Gestas tabellas tecum" *e. q. s.*

Quae res cum ita sit, mirum est, quod servus erum non iam nonnullis diebus ante interrogavit. Immo ero quam primum a servo petendum esse censemus, ut se in amica liberanda adiuvet. At facile perspicitur poetam propter unius temporis retinendi necessitatem hodie demum erum et servum, quomodo Phoenicium lenoni eripi possit, deliberantes facere.

---

[1] cf. Leo p. 196. Eadem ratione poetae scaenici Graeci utuntur velut Soph. El. 29 sqq. et Aristoph. Plut. 23 sqq.

Finis.

Iam ad finem huius libelli pervenimus. Vidimus igitur in Plauti comoediis permultas esse discrepantias arte dramatica nondum perfecta enatas[1]). Neque poeta eas non solum delere studuit, sed etiam saepius discrepantias exemplorum Graecorum auxit et eo, quod spectatorum risum movere in animo habuit, et eo, quod comoedias contaminavit. Contaminationis quidem vestigia facile ostendi possunt, etiamsi per poetam ipsum de ea re certiores non fiamus. Neque enim Plauto contigit, ut ea deleret. At Terentius contaminandi artem adeo excoluit, ut in fabulis eius contaminandi vestigia vix inveniri possint. Sed comoediae Plautinae, quamvis discrepantiis non carerent, tamèn spectatoribus Romanis placuerunt. Nam iterum ac saepius actae sunt. Rem ita se habere retractationibus demonstratur. Sed quod ad veritatis speciem attinet, his quoque temporibus fabulae exstant, quae eam non diligenter observant.

[1]) Nempe omnibus temporibus fabulae discrepantiis non carent; cf. O. Ludwig, Shakespeare - Studien, pg. 81 sq., Sauppe, Wanderungen auf d. Gebiete d. Litt. pg. 222.

Conspectus argumenti.

Vita.

Natus sum Maximilianus Brasse Suidnicii, in oppido Silesiae, die XXVIII mensis Aprilis anni 1890 patre Alberto, matre Margareta. Fidem confiteor catholicam. Vere anni 1909 in gymnasio Suidniciensi testimonium maturitatis adeptus Vratislaviae in universitate Friderica Guilelma Silesiaca audivi docentes hos viros doctissimos: *Baumgartner, Cichorius, Foerster, Gercke, Kampers, Kaufmann, Kroll, Preuss, Scheer, Skutsch †, de Wenckstern, Ziegler.*

Foerstero moderante exercitationibus proseminarii archaeologici intereram. Praeterea ut seminarii philologici sodalis essem, concesserunt mihi *Foerster, Gercke, Skutsch †,* historici *Cichorius, Kaufmann, Preuss,* philosophici *Baumgartner.*

Quibus omnibus gratias ago debitas semperque habebo, imprimis *Franscisco Skutsch,* quem defunctum maereo, quod me impulit, ut hunc libellum componerem, neque mihi et consilio et opera defuit. Etiam *Guilelmo Kroll* magnam debeo gratiam, quod me consilio liberali summaque benevolentia adiuvit. Praeterea *Waldemaro Otte,* theologiae doctori, gratias ago, quod, ut menda hoc opusculo typis exprimendo enata tolleret, dedit operam.